



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



o. lat. 194<sup>e</sup>

SCRIPTORUM

(A. I, 1)

# L A T I N O R U M

SAECULI XIX.

DELECTUS.

C U R A V I T

**FRID. TRAUG. FRIEDEMANN.**

Bibliotheca

Script. lat.

A. I, 2.2

P A R S   P R I M A .

LIPSIAE, A. 1840.


TUMTUM FECIT AC VENUMDAT GEORGIUS WIGAND.


Wb/62/812

+ 1-

BS

Digitized by Google





## IOANNIS BAKE

**RATIO DE HUMANITATIS LAUDE IN VETERUM  
LITERARUM STUDIO SPECTANDA \*).**

---

**BONARUM ARTIUM FAUTORIBUS AC  
STUDIOSIS S. D. IOA. BAKE.**

Tribuitur hoc, quidquid est munusculi, vobis, quos  
quo minus in turba confundam, vestra facit virtus  
et in optimis rebus collocata industria. Quae fuerit  
mihi dicendi opportunitas, haud ignoratis. Satis enim  
difficili anno magistratus academici exacto, per quem  
carissime ad ea studia redire concedebatur, sine qui-  
bus ne vitalis quidem vita videbatur, contra multae  
bonae horae in negotiorum molestia et insolentia et  
anxietate peribant; nondum his omnibus penitus ex-  
haustis cogitare coeperam de orationis argumento,  
cuius mihi necessitatem vel lex imponebat et con-  
suetudo maiorum, vel amicorum et commilitonum  
benevola exspectatio, ne vitarem, suadebat. Pote-  
ram sane eiusmodi dicendi materiam sumere, in  
tanta praesertim disciplinae nostrae ubertate et or-  
natu, quin etiam popularitate, faciliusque fortasse  
reperire, quo audientium animos oblectarem et stu-  
dium retinerem. Verum quum ea tempora esse

---

\*) Habita in acad. Leidensi et edita separatim Lugduni  
Batavorum a. 1829.

viderem, quibus patefacta ianua esset omnium temeritati et impudentiae, iisque telis non tantum alia impugnari, sed licentius etiam uti nonnullos ad diruenda omnis eruditionis fundamenta opprimendamque gravissimorum studiorum laudem, magno cum patrii nominis dedecore; turpe existimabam, reticere quid sentirem, et praetermissa dignitate uni studere voluptati eorum, qui me audituri essent; extremae negligentiae putabam fore, si et in ea academia, quae aetate et auctoritate antecelleret reliquas in patria nostra, et is, qui veterum literarum disciplinam profiteretur, diuturnae possessioni potius indormiret, quam traditae existimationis vim et rationem vere apteque tueretur. In quanto discrimine versentur ea studia, quae non tritum et obsoletum, sed verum sibi et recens humanitatis nomen vindicant, quid dicere attinet? Non novum quidem est, ut nonnulli de plebe, vel non integris sed affectis et corruptis studiis, contra sentiant, quam optimus quisque, utque in veterum literarum monumentis nihil magnopere reperire sibi videantur, quod vel ad doctrinas rerum maximarum ornandas stabiliendasque, vel omnino ad vitae ac societatis commodum usumque referri possit. Qui autem antea mussitabant, eorumque vox, si audiretur, gravi consensione eruditorum obruebatur, iidem nunc clamitant, vicissimque tamquam impetu facto dimovent bonos ac modestos, ut iam, ad summa ne perveniant, metus sit. Indignor toto animo, quoties istos volitare animadverto, et iactare sese non tantum in circulis et conventiculis, sed in summo etiam rei publicae consilio. Omittendas tandem istas ingeniorum ambages fremunt, rectam et brevissimam aliquando laudis et utilitatis viam ingre-

diendam esse, sine operosa illa et ab his temporibus aliena investigatione veteris doctrinae posse quem et medicum fieri, et philosophum, et iurisconsultum. Et quidem fabrum, et coquum, et sutorem, et militem. Quis enim hoc umquam negavit, spoliari posse ista studia non dicam omni liberali ornatu, sed firmissimo etiam historiae praesidio, in veterum posito inventis et in cuiusque artis progressionem et incrementis accurate investigandis, redigique cuncta sic ad calliditatem quamdam balbutientem doctrinamque circumforaneam? Neque tamen hos errores, sero demum in civium nostrorum animos e vicinis oris translato, tunc confutare poteram. Primum enim vetabat argumenti magnitudo et varietas, ut non attingere omnino, quam leviuscule profligare, praestaret. Occurrebat etiam hoc, maiorem fore talis disputationis auctoritatem, si eam singuli in sua quisque disciplina clarus et spectatus suscepissent, neque dicentis persona suspectam aut invidiosam redderet orationem. Veluti clamatores illos, quorum quotidie fere sententiam vel audimus vel legimus, quique, dum petulanter in eam studiorum rationem invehuntur, quam intelligentissimus quisque probavit, et maximarum rerum disciplinas intra vernaculi sermonis angustias includi volunt, prudenter tamen ornateque in conciliis dicendi laudem non aspernantur; eos igitur minus ipse refutare cupiebam, quam *Broughamio* tradere dedocendos, cuius oratio, qua Rectoris munus in academia Glasguensi ante hos quatuor annos auspicatus est, non tantum insigne eloquentiae exemplum est, sed pulcherrime vim et necessitatem vindicat veterum literarum, quae minime omnium sint iis negligendae, qui publicis causis et forensibus tractandis orandisque et

laudem sibi quaerant et rei publicae prodesse sperent. Francice interpretatus est excellentem disertamque orationem homo vanus et ignobilis; sed legendam censeo vobis ipsius clari Britannii sermone editam, non quo dubitem de vestra in hoc genere opinione, verum ut hoc etiam exemplo cognoscatis, posse veterum dignitatem et simplicitatem nostris linguis disputationibusque accommodari \*).

Omni igitur illa controversia omissa, certe remissa in aliud tempus et otium, arcem ipsam tuendam et sepiendam mihi existimabam, quippe qua prodita per errorem reliqua etiam dilabi necesse esset. Intelligo autem, verum studiorum nostrorum consilium et fructum ita ignorari a multis, ut absona quaedam de hac omni quaestione tradant minimeque toleranda. Nuperrime *Boeckhius* etiam, vir egregie doctus et excellenti ingenio, in Praef., quam 1<sup>o</sup> Vol. Corporis Inscript. Graec. praefixit, ita disputavit, ut philologiae disciplinam certarum rerum investigatione et scientia complecti videretur. Quid aliorum partitiones ac definitiones memorare attinet? Unus hic tantam consecutus est auctoritatem, facile ut vel hinc intelligatur, non alia de causa eam rationem probari plerisque, nisi quod venditari potest indoctis, eosque ipsos, qui ne extremis quidem labris veterum monumenta ingenii gustarunt, explere videntur ac beare mirabilium rerum cognitione, ignorantiaeque impudentiam garriendi quibusdam ac philosophandi, si Dis placet, praesidiis instruere. Igitur eius sententiae perversitatem arguere ac refellere studui. Non tamen ita ut exhaustirem omnia,

---

\*) Germanice eam vertit *L. Snell*, Jenae, 1826. Cf. *Parænes*. Vol. 1. p. 192. ed. 2. Fr.



accurateque elicerem, quae principia essent vel mei iudicii, vel illius erroris fons; quae disputatio gravis fuisset audientibus, quorum pungendus animus et excitandus erat, non fatigandus et ad satietatem usque obruendus; sed paucis quibusdam sententiarum summis ac locis propositis, quaeque ut adspicerentur, simul probatum iri sperarem. Quid perfecterim, nescio: sed non nimis displicuisse quae dicerem, e constanti magnae et insignis audientium aeternae voluntate tum coniciebam. Vestrum porro erit statuere, utrum ambitiose aut inepte praedicaverim meam qualemcumque sententiam, an non prorsus imprudenter defenderim: neque enim ita pascor fragili unius horae gratia, ut legentium severum iudicium non reformidem.

Magna sunt et innumera; quae haec Europa, et haec conditio artium ac doctrinarum veterum literis debent; quae nisi e tenebris erutae, et bonis omnibus spectandae et adeundae redditae fuissent, dubium est, in quantarum rerum ignorance hodie verari, quibus inficetiis turpari nostra ingenia oportuisset. Sed alii aliter reverentiam et studium declarant. Qui aestus, qualis multorum impetus est, veterem illam Graeciam liberandam esse aliquando barbarorum iugo clamantium, indignum esse, quae regio nobis eruditionis principia et exempla reliquisset, eam crudelissima tyrannide prope deletam facere! Igitur annonam et arma et milites eo mitti videmus, tantaque veneratione Graecum nomen colimus, ut divina illa scripta, quibus illi immortalitatem adepti sunt, nos hanc humanitatis disciplinam laudemque debemus, contrectare manibus vereantur, excludant e puerili et iuvenili institutione, ipsique veteris elegantiae religione in barbariem relabi ma-

lint, quam assiduo usu ac meditatione illorum exemplorum conterere et vulgare praestantiam. Huic insaniae fortiter resistendum est. Neque unius potest hominis in hoc certamine sufficere contentio, sed vestrum est concurrere, et docendo ac disputando perficere, ne patria instituta veterisque disciplinae fundamenta turpiter obruantur, aut vestra incuria deserantur.

*Scr. Lugduni Batavorum, m. Mart. a. 1829.*

---

A quo tempore qualemcumque industriam mihi in gravi hoc et honorifico erudiendae iuventutis munere explicare concessum est, haud exiguam profecto voluptatem cepi ex illo otio, quod in optimis studiis tum libere colendis, tum apud alios excitandis totum consumere liberet. Sed quum magna me spes teneret, si nec imprudenter nec segniter nimis ei provinciae praefuissem, fore ut sepirem quodam modo et confirmarem laudatissimarum artium existimationem, lateque sparsis quasi quibusdam seminibus omnis virtutis et honestatis, consequerer ita eam auctoritatem, quae et grata mihi et rei publicae ad decus et famam fructuosa futura esset; hanc spem cogitationum mearum non praeciderunt quidem novissima tempora, sed haud mediocriter conturbarunt, opinionisque fiduciam, tamquam somnianti visum, ingrato strepitu excusserunt. Nondum deficit causam bonorum vox; hodieque sunt, qui honestatis moderationisque validissima fundamenta posita esse censeant in disciplinarum studiis non sordide et avare cauponandis, sed laute liberaliterque ornandis. Nondum evulsa radicitus est ea cogitatio, si munitioni-

aggribusque patriae solum continere, si opif-  
icis et mercaturis civium opes confirmare utile est,  
laudis, quam haud minori partem indu-  
am a maioribus traditam accepimus, acriori etiam  
contentione tuendam esse nobis et propa-  
dam. Nondum debellata est penitus ea senten-  
tia, esse quamdam humanitatis excellentiam, quam  
his literis attingere non liceat. Sed qui clamo-  
r audit sint male sedulorum, neminem latet. Ec-  
ce vestrum non graviter commoverunt contume-  
e insigni cum auctorum dedecore iactae in eam  
disciplinam, quae una et rei gravitati, et  
venerum expectationi, et vero patriae voci satisfac-  
at? Eoquem non taedet istius avaritiae dicam, an  
studiantiae, omnia ad officinae sordes, aut ad taber-  
modum revocantis, in ea re quae stare, nedum  
stare, nisi in lautissima et honestissima ingeniorum  
tatione non potest? Vestrum studium, Viri Cla-  
ssimi, qui mecum hanc Musarum sedem, illustre  
stavi nominis ornamentum, pro virili tuemini, nulla,  
orte scio, vel convicia retardabunt, vel franget in-  
gnitas. Sed huius res agitur iuventutis, cuius  
causa non nunc demum suscipienda est nobis, sed  
recepta iam pridem est: huius agitur academiae au-  
toritas, quae in ipso discrimine condita vindicandae  
dignitatis, numquam ad tantam famam crevisset, nisi  
praeceptis institutisque anteponendam utilitati digni-  
tatem esse perpetuo iudicavisset: ipsa denique agi-  
tur patria, cuius in maximis opibus nullum tamen  
unquam fuit decus, quam ea bonarum artium  
disciplina, quae gratuitum excitaret honesti amorem,  
neque ad turpem ambitionem, aut ad sordidum quae-  
tum abici cuncta pateretur.

Miramini fortasse, A. A., hanc primam ingressio-

nem meam, e tristi, quantumvis iusta, querela petitam potius, quam ex huius diei opportunitate ductam esse. Sed quae tandem oratio potest bene de eventu sperare, praeter eam, quae ex intimis animi sensibus proficiscatur? aut quae causa erat, cur dolorem meum atque indignationem reprimerem? Quum praesertim viderem primum mihi apud eos sermonem fore, quos eadem molestiae iniuriaque societas coniungeret; ut, si oratio mea futura praecipue esset, sensum ac voluntatem vobiscum communem habiturus essem: tum quod intelligerem, posse me conferre dolorem ad eam sententiam explicandam, quam, quum diu in animo infixam, sed involuta quodammodo fuisset, latrando isti magis quam dicendo mirifice excitassent. Neque enim aut huius cathedrae modestia, aut vestri consessus gravitas, aut huius muneris, quod iam mihi deponendum est, amplitudo inanem aurium oblectationem quaerit, multoque minus illam voluptatis effectricem orationem mihi vel natura concessit, vel ingenii mediocritas conciliavit. Sed consideranti mihi multorum audaciam et arrogantiam, quorum in dies crescere videtur auctoritas, visum est, totum conferre me ad eorum studiorum tum rationem vindicandam, tum dignitatem, quae multi vestrum pari mecum animo colitis, quaeque si quisquam contemneret, non ad audiendum me huc venisset. Vestra igitur fretus suffragatione, A. A., ostendere studebo, *hoc polliceri praecipuum veterum literarum disciplinam, ut, eam qui rite sequatur, ad orationis facultatem excellentem proficiat.* Qua causa suscipienda intelligo, quam in grave discrimen venturus sim. Quippe non satis erit, probasse me idoneis argumentis id quod spectavi; quod mihi commune est cum reliquis omnibus, in quacumque disputatione

versentur; sed hoc etiam postulabitis, ipse ut exemplo meo ostendam, exsistere illam artem ex his studiis, esseque hanc præcipuam laudem, cuius ea nomine commendantur. Grave profecto onus expectationis vestrae! cui sustinendo ita me imparem esse certo scio, ut paene nunc etiam hanc voluntariam et otiosam locupletatam deponere satius arbitrer. Verum tamen periclitabor in re difficili ingenii vires, maloque ipse minus disertus videri, quam causam, iustam præsertim et honestam, deserere. Tantum vos oro, ut meum ipsi anquiratis, quae recte et subtiliter defendi possint, neque ex patroni infantia de causae existimatione statuatis.

Nulla est doctrina rerum honestarum, nulla ars aut exercitatio, quin, quum humani ingenii perfecta sit calliditate et inventis, magno cum humanitatis coequetur emolumento et perpolitione. Et profecto humanitatis illius præstantia, quo tendere omnes oportet, nisi si quis pecudum more praesentis tantum voluptatis, neque ullo praeterea, fructu movetur, alienis excolendisque continetur iis bonis, quorum præclarissimo munere divina providentia humanam subornavit naturam. Sed neque simplex ea laus est, neque parem eius sibi vindicant partem omnes disciplinae. Disputari multum solet, unde tandem artes et doctrinae ortum habuerint; utrum inveniendarum causa a necessitate quadam et indigentia repetenda, ut essent quasi ministræ vitæ communis et civilis, aut naturæ adiutrices, an sponte effloruerint e pulchri quodam et venusti insito sensu, quem secuti homines oblectandi potius honestatem, quam vitæ præsidia spectaverint. De quo in quamcumque partem statuatur, hoc certe negari non poterit, et nullam esse doctrinam ita necessariam, quin ad mansuetiorem illam magisque

otiosam considerandi voluptatem extolli possit, neque ullius artis adeo inanem esse oblectationem, quin artissime cum primis illis naturæ fundamentis et principiis sit coniuncta. Verum aliud est, in quo plurimum distant inter se disciplinae. Earum quippe aliæ multarum rerum cognitione continentur, non illa quidem sine insigni industriæ et acuminis laude ac perfectione, sed cuius tamen fructus omnis in præsentipotissimum utilitate consumitur: aliæ minime quidem scientiæ cognitionisque operam negligunt, sed nisi opus quoddam perfecerint, cuius oblectatio ad plures pertineat, posterosque etiam in sui admirationem rapiat, officio suo satisfacisse non existimantur. Unde intelligere possumus, non tantum has cum illis dignitate æquandas esse, sed difficultate etiam superiores. Docti enim nomen facile is taetur, qui primum ea, quæ ante alii invenerunt, complexus est, tum eadem suo quodam invento, quantumvis exiguo, auxit et perfecit: quod quis est qui vel mediocri ingenio attingere non possit? Artifex contra non is laudabitur, qui permulta didicerit, sed qui suo ingenio eiusmodi opus condiderit, quod cum eorum, qui ante fuerunt, perfectissimis monumentis possit de palma contendere. Atque huius postremi generis excellens illa orationis facultas est, cuius disciplinam e veterum literarum studio arcessendam esse dixi.

Sed in primis intelligendum est, sic in præstantissimis illis naturæ bonis numerandam esse orationem, ipsamque eius extremam ac perfectissimam laudem ita conferri ad exquisitas humanitatis dotes exornandas et perpoliendas, difficile ut sit decernere, quibus in ea finibus a necessitate segregetur voluptas. Igitur explosum diu est vetus illud, Socratis propagatum auctoritate, quemque satis in eo, quod sciat, esse

disentur: similiaque multa, quae feruntur, ab eodem scilicet fonte profecta, primum perperam intellecta sunt a plerisque, Socratis peculiare consilium ignorantibus, et suavissimae vim ironiae; deinde eorum scriptis ad nostram memoriam tradita, qui, quum hæc præstantis virtutis contemptum et ludibrium explerent, ipsi divino quodam artificio dicendi usi sunt. Constituuntur sane angusti illi indigentiae fines in iis disciplinis, quae praesentem quaerunt utilitatem, et exornantur; non utitur minuta illa computatione virtutis et ingenii quaedam elaboratio. Item qui dicere nihil aliud esse putant, praeter quod mentis explicare, lepidum fortasse aliquid excogitasse sibi videntur, quo exiguum, aut ancipitem certe eius facultatis relinquunt existimationem; quippe, ut concedant recte illud, et sic ut decet, fieri sine aliquo studio non posse, opificii tamen eam artem similem esse quodam modo, quod aut tractare, aut deponere liceat, nullo prudentiae, nedum humanitatis modo. Hi, videtis, in quanto errore versentur. Sicut enim equus et arbor appellantur nominibus definitis, et suum cuique genus et formam adsignantibus, eodem modo sentire ac dicere appellari putant, discreta a se invicem ac genere diversa: neque intelligunt, ita alteram alterius ope confirmari facultatem, ut debilis altera futura sit, et imperfecta, et manca, sine alterius societate. Quid enim? Regi orationem, et gubernari, et exsistere totam dicemus ex intimis animi sensibus: quin parem vim in ipsam mentem habeat oratio, dubitabimus? Non est ita. Nihil est in mente, quod non occultum, et obscurum, et implicatum maneat, donec orationis ope detegatur, illustretur, enodetur, primum tacita commentatione, tum magis etiam intentissima dicendi exercitatione. Tan-

taque est mentis humanae imbecillitas et inopia, ut non dicam aliorum, sed ne suam quidem vim agnoscat et percipiat, nisi sensibus ipsa se suis subiiciat, inque ea imagine elaboranda quantum fieri potest studii ac diligentiae ponat.

Proferri sic aliquantum istos necessitatis fines videtis, A.A.; sed modum tamen quemdam requiri, sunt qui existiment, neque opus esse ut in orationis copia, et ornatu, et elegantia elaboretur; paucis enim verbis, iisque communibus et simplicibus, satis patefieri mentem posse; ultra etiam si quis progrediatur, metum esse, ne corrumpatur potius intelligentia, quam adiuvetur. Spoliare hoc quidem est naturae opes, non explicare thesauros, neque eius simulacri, quod in animo quisque suo conditum et consecratum tenet, agnoscere praestantiam ac divinitatem. Mathematicis hoc concedatur, ut nihil praeter certas numerorum notas requirant, quippe quae diligentissime id, cuius causa inventae sunt, referunt; sicut in rerum permutatione signato argento utitur vita communis. Non dicam nunc, brevitatem illam et simplicitatem insigni constare studio, si quidem simul et perspicua futura est, et explicandae sententiae idonea. Sed longe pleraque et maxima eorum, quae mente agitamur, non utuntur paucis aut firmis verborum signis: quumque nitantur fere principiis minus evidentibus et in opinionis inconstantia positis, oratio ipsa quam vaga et fusa atque indefinita sit, apparet. Imitatur profecto mentem nostram oratio: neque imitatur tantum, sed quasi venatur studioseque indagat. Quid igitur est illud sentire et cogitare? Si cui hoc daretur, quale veteres in fabulae imagine comminiscebantur, ut oculorum acie mentem adspiceret, dii boni! quantam hic opinionum turbam cerneret, et seriem et varia-



tem, quantum affectuum tumultum et perturbationem hac atque illuc rapientium, qualem horum omnium, in partitione quamvis inaequali, concursationem et permutationem et confusionem, nihil ut, ne minimum quidem, tangere posses, quin reliqua simul permulta moveres, quibus illud nititur, et quodam quasi assiduo circuitu circumfusum est. Huius tu ubertatis et redundantiae imaginem et moderationem tribus verbis comprehendere sperabis? Neque cogitabis non solum esse explicare quid sentias, sed etiam quo modo, singularumque sententiarum innumeras esse quasi figuras et habitus, ut recte appellant rhetores, sed omnes e diversis animi affectibus diversisque modis cogitandi profectos? Non agnosces, vel locupletissimae linguae vix tantas esse opes et tam flexibilem compositionem, ut omnia omnino sensa mentis expleat, omnibusque sentiendi amfractibus accommodetur? Ignoras denique mansuram illam turbam, neque ipsi tibi habilem, neque aliis profuturam, nisi orationis electu et ordine, et varietate structurae certam ei formam et speciem induas, occulta elicias, involuta evolvas, obscuris lucem affundas, compescas turbulenta, segnia excites, distinguas confusa, itaque et ex temet ipso melior doctiorque evadas, et aliis prosis ac placeas? Sic demum extabit illa tua mens, quae, sublatiis iis quae contemnis, aut nulla omnino erit, aut perexigua. Hoc qui negligunt, attenditis fortasse ipsi, quam ridiculi sint in omni vel deliberatione vel disputatione. Quippe audimus nonnumquam, quorum breviter et incondita verba, ut Pythiae illius Delphicae, in versum redigere necesse sit, et in sententiae quamdam speciem; aut qui ita pronuntiant, ut dicas somniasse eos aliquando aliquid, sed non amplius intueri visum; nobisque maximam partem divinandum

relinquere. Sint sane multa, quae brevitate verborum absolvantur, adeo ut nutu ipso nonnumquam et motu et gestu perfecta animi sententia aperiatur. Quid? quod silentio etiam sua et gravis significatio constat. Aiacem apud inferos compellat Ulysses, blandisque verbis offensionem ex armorum iudicio susceptam lenire studet: nihil ille respondet, torvoque vultu inter reliquas mortuorum animas recedit. Dubitamusne tamen, quae sentiat? Utinam nonnullorum tam diserta oratio esset! Sed pingere istud poëta, non tradere existimandus est.

Oratio autem illa, quam diu iam quaerimus, sit profecto mentis quaedam imago, non aliorum tantum causa, sed nostra etiam ipsorum diligentissime elaborata. Videtis enim, quò progrediamur, ipsam secuti necessitatem. Pictores solent, ubi aliquam formam aut situm in tabula proponere conantur, non paucis iisque meris uti coloribus, sed permultis, quibus permiscendis saepe, et varie temperandis, tum etiam ita collocandis, ut sibi invicem opem ferre videantur, naturae similitudinem imitari student; neque omnia certis definitisque lineamentis absolvere, sed exeuntibus quasi et evanescentibus coloribus formas relinquere magis, quam describere. Non dispar artificium eius est, qui mentis illam imaginem verbis reddere vult. Sed in hoc uno distat, quod illi imitantur ea, quorum exempla certe demonstrat plene et perspicue natura, is contra, qui dicit, hac ipsa demum exercitatione eruit illud et intuetur, quod imitandum sumsit, obscuratum ante, et latens in tenebris, ignavum, otiosum, neglectum. Ecce iam, quum imprudenti mihi artificii mentio exciderit, non pugnabo vobiscum de verbo, et in voluptatis migrasse nos fines confitebor: sed cuius, per deum, voluptatis? Nonne eius, sine qua praestantem

humanitatis laudem attingi non posse censendum est? Quid postulat aliud Delphicum illud praeceptum? Quodsi enim nosse se quisquam sine tacita commendatione et consideratione ingenii nemo potest, multo tunc etiam superabit oratio, in gravissimis quibusque rebus studiosissime excelsenda. Non reconditum, non quaesitum est, quod dico. Quid est enim illud, docendo discimus, quod et ore usurpamus quotidie, et re experimur; quid est, inquam, aliud, nisi ut tum melius planiusque scire nobis videamur, quam scientiam verbis enuntiare necesse est? Multa sane sunt, quorum disciplina locupletamur et emendamur, quae videmus, quae audimus, quibus perpetuo fere cingimur et obidemur, denique magistri, qui hoc ipsum profitentur: sed parum ista proficere necesse est, nisi domesticus ille accedat doctor, qui vel insita formpat et eliciat, vel instauret exerceatque aliunde accepta, id est, oratio. Apud Platonem interrogat puerionem quemdam Socrates de rebus, quas numquam ille didicerat; qui tamen gradatim ita respondet ad stiles quaestiones et aptas, ut ea ipsa, quae ignorare videbatur, planissime dicat: quo utitur argumento vir incomparabilis, quae discamus, meminisse nos e superiori quadam vita. Quanto fecisset melius, si orationi hoc tribuisset, ut ostensis verborum nominumque tamquam signis agnoscat ipsa se mens humana, et e sopore expergiscatur, et quasi vivere incipiat, quam ad ea se applicuerit, quorum facultatem nobis minime otiosam aut lusoriam tribuit natura!

Si nullum omnino modum servari nullosque fines temperari oportere huius artificii dixero, A. A., concurrant undique ad arguendam sententiae audaciam, et odiosum rhetorum genus obiiicient; quorum artem qui sequatur, furere hunc et insanire, non dicere con-

tendent; sobrietatem enim et parsimoniam et sanitatem laudari, non eam orationem, quae tum rerum inanis sit, tum impudenter exsultet. Sed calumniari hoc est; nisi forte, posteaquam philosophi extiterunt, qui virtutum officiorumque partitiones invenirent, subtiliterque singula genera, nominibus etiam impositis, persequerentur, ab ipso officio aut virtutis studio abstinendum est. Sordeant sane ista ornamenta, et cincinni, et calamistris inusta oratio, ubi ex illorum magistrorum aemulatione profecta est. Sed nihilo ista minus naturam ipsam attingunt, quam quae in summa severitate dicuntur. Non commemorabo eorum sermonem, quos nulla tangit artificii suspicio, rusticorum et opificum, plenum illum similitudinum, translationum, figurarum omnis generis, maxime ubi acrius commoventur animi. Vestrum ipsorum testor sensum, numquid in Sophoclis sublimitate, aut in Demosthenis amplitudine offendatis? Nullone ipsi vos agitari sensistis impetu, ut aliorum infantiam ac tenuitatem superaretis, ut conderetis aliquod opus, cuius in praeterita etiam et obsoleta utilitate considerandi honestissima voluptas relinqueretur? Aut, si qui humi strati tantum adspicere non poterunt, aliorum conatus suo torpore retardabunt? Tantum concedite, nihil in hoc genere aspernandum esse, quod quidem vel modum non excedat, vel proprium cuiusque sit, neque fictum et aliunde assumptum. Hoc est illud decorum, quod numquam ita appellavissent homines, nisi multa animadvertissent, quae minus decerent, contraque aut ieiuna et mutila et obscura et abiecta, aut odiosa, deformia, tetra et foeda essent. Non minus in dictis et in omni literarum artiumque genere, quam in factis et consiliis, ea suprema norma est: neque huic officio satisfacit, qui ab omni conatu abstinet, quaeque a

natura attulerit bona, contabescere inertia patitur, sed  
i laudatur, qui et subire periculum audet, et in  
summo quamvis studio nulla tamen in re offendit,  
non satietatem, non fastidium movet, contra clamores  
et illustres illas significationes excitat, eaque condit,  
quae in summa etiam orationis communione similis  
eventus desperationem afferant cunctis.

Descripsi illam vel laudem, vel exercitationem,  
vel virtutem et excellentiam, ut mihi videtur, cuius  
disciplinam dixi a veteribus esse petendam. Quo loco  
operam dandam esse intelligo, ne ambitiosius quam  
verius causam defendere videar. Socrates apud Pla-  
tonem narrat Menexeno, se, quum audiret publicam  
laudationem eorum, qui in bello pro patria ceciderant,  
splendidaque oratione Athenarum praedicari fortun-  
nam, mirabiliter abreptum fuisse patriae admiratione,  
in peregrinos etiam qui adfuissent superbum fuisse,  
verbo, prorsus de solito more tamquam praestigiis  
captum deflexisse, vix ut quarto die post resiperet.  
Talem artem neque ego profiteor, nec, si teneam, uti  
velim. Sed placandi mihi primum sunt, si qui con-  
temni a me recentiorum literas putant. Superstitio-  
nis hoc est, non sani iudicii et recti, unice remotis  
delectari, nostris et propioribus non commoveri om-  
nino. Verumtamen ut sint haud pauci, qui veterum  
virtutes feliciter aemulentur; qui cursus ab illis inde  
temporibus habuit initium, quibus in lucem revocati  
et propositi veteres sunt; potiolem tamen vetustae  
aetatis auctoritatem esse contendo, ei quidem qui  
non in turba latere, sed emergere nomenque ad po-  
steritatem tradere cupiat. Invidiosa profecto est illa  
veterum cum recentioribus contentio. Neque talem  
a me expectate disputationem, quae et apud eos, qui  
utrosque norunt, otiosa futura, et apud eos, qui alter-

utros, parum fidei habitura sit: qui autem neutros tenent, quid his faciemus, nisi rogemus, ut paullisper hinc facessant? Sed illud constat, unam quamdam et certam laudis illius formam esse, aeternis fundatam prudentiae, ingenii, decori venustatisque principiis. Hanc si oculis adspicere liceret, unus foret omnium ad eam cursus, eademque omnibus spes esset extrema consequendi. Sed, ut reliquarum artium, in quibus humanitatis praestantia expromitur, quae sensibus subiiciuntur exempla, ut de Homeri carmine dixit Horatius, *planius ac melius Chrysippo et Crantoro dicunt*; par est conditio eius excellentiae, quae in orationis perfecta specie versatur. Exigua solet esse vel acutissimarum disputationum vis, maxima contra auctoritas eorum, quibuscum vivimus. Quorsum haec? nempe ut intelligatis, quibus de causis et veteres multo sint recentiorum exemplis antepoenendi, et sine illorum assidua commentatione egregium quid sperari non posse. Nullum fere est literarum genus, quin domesticas afferat notas eorum temporum, in quibus explicatur. Contendite nunc mihi, quaeso, recentiorum conditionem cum veterum illorum, qui florentibus Athenis fuerunt, et cum perpaucis de Romanis; neque enim adeo demens sum, ut, quidquid quoquo tempore graece latineve scriptum sit, eodem nomine commendandum existimem. Nos, quum vix e medii aevi stupore et inficetiis emersissemus, obrui coepti sumus literarum quadam immoderata illuvie: eaque intemperantia ac prope turba incredibile dictum est, quantum offecerit paucissimorum virtuti. Nihil poterat aliud exspectari ab illa vitae tum publicae, tum privatae conditione. Utraque quam confusa et implicata, quam prope dicam abiecta et perversa postea fuerit, videtis ipsi, quam immenso intervallo a

naturae simplicitate deflexerimus, quantum de singulorum dignitate imminutum sit, quanta labes adhaeserit ex immoderato luxuriae et utilitatis studio. Ne forma quidem rerum publicarum excluditur ex illa consideratione, et civium certis locis ordinibusque descripta conditio: siquidem in prudentissima etiam, quam hodie probare solemus, temperatione civitatis, servantur multa *veteris vestigia ruris*; in quae ingrediendum est omnibus, sive agimus quid, sive cogitamus, sive dicimus, insigni cum iactura eius, quod vere simplex, et elegans, et rectum habendum est. Quorum omnium tanta vis est, et tam late contagio patet, ut propter exemplorum multitudinem ne recte quidem fieri, quae secus fiunt, existimentur, facinusque audax suscipere videatur, qui his consuetudinis inveteratae claustris et imperio expedire sese, orationisque genus ac formam consecrari intelligitur puram, integram, liberam in primis, et hominis praestantia dignam. Quod in praecipua literarum commendatione apud veteres ponebatur, ut extaret urbanitas quaedam, huius laudis locum hodiernis temporibus invasit illud dicendi genus, quod a fonte, unde manavit, haud inepte aulicum appelles, nostri homines, nominis abusu, civile vocant. Nolite arbitrari, A. A., ullam turpiorem pestem bonarum literarum studio importatam esse. Pariter enim animum atque orationem corrumpit, et ita ad obsequium flectit, abiicitque propemodum ad servitutem, ut nervos ipsos honestatis incidere, nativumque cogitandi dicendique leporem opprimere videatur. Quid disciplinas dicam earum rerum, quae gravissimae habentur? In quibus facile erat ostendere, sic omnia ad utilitatem et ad scientiae superbiam referri, eaque infinita cupiditate sic exhauriri vires ingenii, non ut iusta suppellectili instrui videantur ple-

rique, sed ut gemant sub pondere rerum, penitusque exarescat urbanitatis flos. Philosophia, ut huius utar exemplo, quin acute subtiliterque colatur a multis, quis dubitat? Sed, dii boni, quae deliria propagat! Quam horrido conclusionum comitatu stipata incedit! Quam devium et molestum et spinosum orationis genus consecratur! Hoc tamen philosophandi furore, et quodam vanitatis tactu colorari longe plurimos, quamvis reluctantes, videmus, quorum audiendorum aut etiam legendorum exantlare aerumnam possimus, et excerpere utilitatem; liberalem oblectationem, quae perfundat animum atque intima caritate devinciat, frustra quaeremus. Quid contra veteres? Graecorum quidem literae quum ab ipsis ortum et incrementa habuere, tum egregie cum ea societatis conditione conspirabant. Non loquor nunc de Homero, cuius divinitatem ut multi proverbii loco in ore habent, ita sentire nemo poterit, nisi qui exuat plane huius aevi consuetudinem, et quasi reveterascit. Sed illa cogitate tempora, quibus Sophocles et Thucydides et Plato et Demosthenes fuere. Societatis forma ea erat, qualem decebat esse eorum, qui, superata barbarie et excussa tyrannide, naturae vigorem ac simplicitatem retinuissent, et, in egregia prudentiae maturitate, nondum in confusum quoddam et perplexum genus ordinandae rei publicae degenerassent. Leges, instituta, mos maiorum, nihil non integrum et incorruptum erat. Iuris summa aequalitas, auctoritas penes omnes, potestas iis concessa, quos ipsi cives delegissent. Splendor omnis in publicis et aedificiis, et caerimoniis consumebatur, privatorum vita in primis civilis, victus cultusque moderatus. In artibus disciplinisque, quae quidem publice probarentur, reconditi nihil; aliunde si quid eius generis esset allatum,



velut in aliud solum translatum, amittebat fastum et inanem iactantiam, Atticam contra sanitatem et sanguinem adsciscebat. Literarum denique non paucis bestisque patebat aditus, sed nusquam prope praequam in luce et in foro, aut in conventibus circulisque celebrabantur. Quum igitur isti non poësim solum excoluissent, sed tamquam adulta aetate solutam quoque orationem, virilem magis et libero homine digniorem ita perfecissent, nihil ut supra cogitari posse videretur, summa tamen constabat orationis cultae et perpolitae cum naturae veritate consensio, nihil admittebatur odiosum, aut putidum, aut quaesitum, aut portentosum. Quid autem nos? Sicut in cultu et vestitu solemus esse attenti, primum ne incomiti e cubiculo foras egrediamur, tum ut illum ipsum apparatus non quidem ad naturae usum dignitatisque rationem componamus, sed ad hodiernae consuetudinis longe inficetissimae obsequium regamus; ita, ubi ad dicendum scribendumque accedimus, sprete veritate, contum quoddam, ac civile, et doctum videlicet in oratione consecramur, in quo saepe, quales ipsi simus, non apparet.

Non ipsa literarum monumenta utriusque aevi contendendi inter se, A. A., sed, ne in sola fortunae temeritate ac naturae quidam libidine posita videretur illa veterum excellentia, efficere studui. Nihilne igitur tot hominum ingenia qui post extiterunt, nihil paucorum etiam egregia contentio perfecit et absolvit, imperfectum ante, nec elaboratum? Respondebo tum, si mihi, aut qui Polycleti signa, aut, ut recentius memorem exemplum, qui Rubensii tabulas potuerit arte aequare, indicaveritis. Valeat illa progressio in multarum rerum cognitione et scientia: minus attingit ingenii vim et felicitatem, cuius perfectis-

sima opera, quantumvis aetate remota, intueri oportet eum, qui vero ducitur laudis amore. Non desperabit ille, si omnem industriam intra imitandi spem continuerit: superare qui conatur et impune exultare posse sperat; is demum turpissime labitur vanitatisque poenas dat perridiculas.

Praemunienda haec erant, A.A., atque anticipanda, priusquam explicarem hoc, quod initio posui, illius vel artis vel virtutis facultatem praecipuum esse, quod in veterum literarum disciplina spectari oporteat. Meane culpa est, si permulti iique minime contemnendi huius sententiae adversarii exoriuntur, an ipsorum perversitas et inconsideratum studium? Nulla quidem inter nos contentio est, utrum abiicienda sit ea disciplina ad inanem iactantiam et speratorum vanitatem, an exornanda ad decus, et ad eum humanitatis fructum, quo uno nomine possit vere gloriari. Sed illustriora quaedam et graviora sibi isti reperisse videntur, quae prae ceteris consecrari deceat. Quum enim necessarium horum studiorum officium cum vero fine ac proposito confundi a multis viderent, circumspicere coeperunt homines acuti et industrii, quo a vulgi invidia studia sua defenderent. Hinc igitur magnifica illa, et tragica propemodum, civilem prudentiam esse extraneum illud, e veterum illarum civitatum vicissitudinibus percipiendam; aut totum etiam antiquitatis nomen et perfectam imaginem, quam velut in vitam revocandam esse; aut philosophiam et ingenii humani de gravissimis rebus placita ac somnia; aut naturae vim, ac divini numinis opinionem e fabulis et sacrorum institutis caerimoniisque eruendam. Macti virtute, qui tam praeclara spectatis! Itaque superbiunt isti, et vultu supercilioque freti interclusas illudendi conviciandique vias

putant: nobis etiam istis veluti larvis induti terrorem incutere student et de gradu deiicere. Quasi dabiū esse posset, quin aut magni illa facienda sint, aut egregia plane conferant veteres, quibus ea illustrentur. Sed eodem modo tamen errare videntur, quo nostris diebus libelli inscripti sunt *de Platone medico*, et *de Ovidio iurisconsulto*. Quid enim perspicuum magis est, quam aliarum artium sic effici ministram hanc literarum disciplinam, non ipsius constitui finem? Concedamus igitur historico aut geographo aut antiquario aut philosopho nostrae disciplinae usuram, ut nulla potest sine ullis literis constare scientia: sed ne invadant proprium huius disciplinae nomen et propositum. Duo sunt prae ceteris, quibus verum cuiusque disciplinae finem iudicare solemus. Primum eiusmodi sit necesse est, ut ipsa se contenta esse possit, neque aut aliunde sperandi fiduciam arcessat, aut in alienae artis comitatu ac ministerio delitescat. Videtis autem, spero, in quem angustum locum universae vel historiae, vel philosophiae isti veterum literarum propositum includant. Alterum, sine quo recte constitui finis non potest, hoc est, ut ex universa disciplina exoriatur, neque alius aliam partem vel contemnat, vel exosculetur. At quid isti? Involabit historicus in Catalogum Naviū; sed quid, quaeso, faciet aut dolore Andromachae, aut Nausicaae pudore? Pragmaticus ille Thucydidem tenebit et Demosthenem: Pindarus ubi, et Euripides? Suum appellabit philosophus, parens ille, ut sibi videtur, omnis eruditionis, Platonem, cumque eo fortasse coniunget Appuleium: sed quum illius suavitatem et lumina imaginum omittet, in paucas contractis pagellas quibusdam placitis, tum Herodotum et Sophoclem negliget. Una profecto est orationis vir-

tus et ingenii praestantia aequabiliter per omnia illa veterum monumenta fusa; qua detracta, ista etiam, quae graviora multis videntur, vix poterunt vim gravitatemque retinere, contra nuda, exilia, ieiuna, arida sint necesse est. Adducamus aliquando, qui isto animo est, ad lautas et instructissimas epulas. Non dubito, quin statim convertat se manumque iniiciat aprino capiti, aut acipenseris, ac perscrutetur utriusque ossa ac nervos, praedicans naturae varietatem et fabricam artificiosam, aut etiam orae vel maris indolem, unde advecta illa erant. Sed aequi et elegantis convivae esse dicetis, haec aliis curanda relinquere, neque in tanto coqui artificio, aut in hoc convivii apparatu et suavitate, in ipsa etiam confabulandi dulcedine et hilaritate magnopere anquirenda esse. Quid, ubi tabula picta consideranda proponitur? Vestimentorum genus et materiam intuebitur, aut suppellectilem et stragula, aut situs ornamenta; negliget lucis et umbrae temperationem, non attendet, quo modo naturae affectum et praestantem indolem referre aut gignere artifex potuerit, ad postremum discedet tamquam a picto tabernae cuiusdam insigni, non voluptatem, non salutarem illum e praestantis operis consideratione dolorem domum reportabit. Scilicet paratiora quaedam, et solida, quaeque tamquam manibus contractari possint, nec facile cuiusquam, ne indoctissimi quidem, curam effugiant, haec igitur venantur, his pascuntur; reliqua, quippe eruditioris observationis, otiosa iis videntur, et nugae, et tenuiora, quam quibus magnum videlicet animum moveri oporteat. Quae sententia; nam hoc tertium est, quo finis constituendi ratio regenda est; ea igitur sententia ubi latius serpet audacioresque patronos nacta erit, interitum afferet aliquando, non enim re-

ticebo, A. A., gravissimo huic studio veterum literarum. Quid antiquitus, labente vera eruditione et inclinato studio illarum laudum, factum sit, videtis. Neque enim desidia cuiusdam aut ignorantiae facinus fuit, sed eiusdem erroris et arrogantiae, ut altero iam post Christum seculo excerpti et in angusta doctrinarum compendia includi coeperint nobilissima quaeque de veterum scriptis; nihil quippe dignum existimabatur hominum cognitione, nihil operae pretium esse, quam quid traderetur scire, quo illud diceretur modo, perparum interesse. Ne hodie quidem deesse suspicor, quos Herodoti nativa simplicitas haud ita magis quam Ioannis Tzetzae delectet stupor, quique Pontificum Annales Ciceronis Laelio redimere cupiant. Improba sane cupiditas! Ergone hic literarum flos, et ingeniorum proventus, quibus merito acriatur recentior aetas, veterum quorundam magistratuum descriptioni, aut vectigalium investigationi, aut sacrorum explicationi debentur? *Quo usque tandem Catilina*, et *Arma virumque cano*, haec, inquam, erant, quae excitarent e sopore, haec, quae ad intermortuam prope humanitatis laudem studiumque revocarent.

Hoc animo vos oportet, ornatissimi adolescentes, Graecae Romanaeque venustatis intueri monumenta, nullamque defugere industriam aut contentionem simul laudis consequendae. Metuitis fortasse, ne quis in hoc studium perficiendae orationis intentus gravetur illa, quorum tamen cognitio et laudabilis et fructuosa est, omittat. Vanum timorem! Disciplinarum studia, in tanta singularum amplitudine et in his humanae industriae finibus, fieri potest, ut alia aliorum societatem excludant, perpauci ut reperiantur qui paucos una complectantur: non utitur his angustiis

exercitatio bene, apte, compositeque dicendi, potiusque cuiusvis scientiae extrema perpolitio est. Haec profecto studia sunt, quae latissimum ingenio carsum aperiant, haec, quae ipsum hominem tamquam magis humanum reddant. Quae si nullam aspernantur aetatem pariterque comitari et complere possunt omnem; vobis omnium maxime conveniunt. Minus vestram aetatem, opinor, infecit pravae consuetudinis auctoritas, minus invasit insatiabilis quaedam et avara doctrinae cupiditas, ut hominum sermones admirationesque fugiatis, et consecemini cognoscendi voluptatem umbraticam, putidam, balbutientem denique aut prope mutam. Iacet, mihi credite, et sordet immensa quamvis doctrina hoc studio neglecto, stat contra splendidissimeque nitet, ubi oratione culta, copiosa et ornata propagatur, quae vel ignavissimum sua potest vi ad industriam excitare. Haec sunt porro verissima praesidia et copiae, quibus defenditur res publica, quae parum opis in bonorum consilio aut nutu habitura est, nisi summo orationis delectu, exquisitissimis verborum sententiarumque luminibus, omni ingenii contentione et artificio oppugnetur malevolentia ac debellatur improbitas. Vos tandem, quorum animus non satiatur hoc praesentis fructu utilitatis, quique praestantis facultatis igniculos mature deprehensos excitare in vobismetipsis audetis, qui mente concepistis perfectissimam artis imaginem, tenete hunc cursum laudis, intuemini illa naturae et ingenii simulacra in veterum monumentis extantia; mortales ipsi, ea relinquire, quae immortalitati debeantur; firmate eam stirpem virtutis, ex qua laetissimi gloriae fructus gignantur. Hoc ubi tenebitis, habebit aliquando vos res publica non artium opifices, sed disertos patrii nominis vindices; habebunt literae illustra exem-

pla gratiae et venustatis; habebit haec academia, in cuius stadiis ad omnem humanitatem erudimini, vos pignora famae, testimonia disciplinae, et adversus invalescentem barbariei insolentiam firmissima propugnacula.

---

## GODOFREDI STALLBAUM

ORATIO DE PERICULIS LITTERARUM HUMANITATIS STUDIO NOSTRA AETATE IMMINENTIBUS \*).

---

Quum singulis fere aetatibus peculiaris aliqua atque propria regnare soleat sentiendi agendique ratio, qua ita fieri videmus, ut aliae res a plurimis hominibus mira animorum consensione ac prope conspiratione expetantur, aliae cum fastidio et contentu reficiantur; tum etiam talia interdum tempora inciderunt, AA., quibus mentes animique hominum praecipue converterentur ad ea, in quibus vitae externae melius ornandae lautiusque tuendae instrumenta ac praesidia inesse viderentur. Quae quidem studia nemini cuiquam mirum accidet quod semper tum maxime exarserunt et inflammata sunt, quum vel insignes rerum conversiones in vita privata atque publica factae, vel rerum novarum atque utilium insperatae inventiones, vel denique insolitae opum ac di-

\* Habita est haec oratio in schola Thomana Lipsiae d. 31. Decemb. a. 1836, et typis descripta ibidem a. 1837.

vitiarum comparandarum et augendarum opportunitates solito vehementius spem melioris fortunae in animis hominum suscitant. Fert enim ita humanarum cupiditatum natura, ut, si vel tantillum alimenti acceperint, protenus etiam vehementius exardescant atque ignis instar materiam ipsis admotam ocus corripiant correptamque penitus hauriant et absumant. Neque vero studium illud melioris laetiorisque vitae condicionis nanciscendae per se ullo modo reprehendendum esse, quis est quin ultro largiatur? Sumus enim hac lege homines nati, ut, nisi prospera utamur vitae externae condicione, magna certe pars eorum bonorum, quibus summi numinis benignitas genus humanum ornatum esse voluit, haud dubie esset deperitura, atque adeo difficillimum foret ad cultioris humanitatis usum aliquem atque fructum pervenire, quo uno tamen maxime naturae nostrae dignitas et praestantia absolvitur. Verum, enim vero, quod plerumque accidere videmus, ut, quo quid vehementius adamatur et expetitur, eo facilius contemnantur alia non minus optabilia et ad communem salutem conducibilia; idem etiam iis temporibus, quibus melioris fortunae feliciorisque rerum condicionis cupiditas gliscere inter universos populos coepit, ita evenisse vel exigua docet rerum gestarum consideratio. Etenim maximam hominum partem inprimis ea advertere solent, quae externa specie nitent, quae splendore suo fulgent, quae sensibus placent et blandiuntur cupiditatibus: quae oculorum aspectum fugiunt et quorum fructus non in praesens est, ea vero plerisque sordent, aut certe sic demum in aliquo honore habentur, si quam spem afferant voluptatis, quae et ipsa in lucro deputatur. Quo ipso sanequam facillime evenit, AA., ut eius-



modi temporibus grassante lucrandi studio pleraque omnia ad utilitatis trutinam exigantur, atque adeo ea, quae ad mentis animique eruditionem spectant, utilitatis terminentur modulo, et per quaestuosae multitudinis imperium, si possit fieri, servire cogantur vitae quotidianae necessitatibus, excelsa humilibus, divina humanis, animus corpori. Hanc ipsam vero nostrae esse aetatis rationem, AA., non tantum queruli exacti temporis laudatores, sed perspicaciores etiam rerum humanarum observatores atque iudices arbitrantur. Tantum enim aiunt inter nostros ingruere coepisse utilitatis studium, ut, nisi ipsum numen divinum praesenti auxilio suo interveniat, earum artium ac disciplinarum, quae non ad vitae quotidianae usum referuntur, sed ad mentis animique cultum maxime pertinent, haud dubia ruina instare videatur. Fieri enim nullo modo posse, ut artes ac litterae humanitatis eo tempore vel conserventur vel augeantur, quo inter plerosque homines hic mos invaluerit, ut iis tantum rebus aliquod pretium statuatur, quae ad ornandam exhilarandamque externae vitae speciem valeant, atque ipsae litterae ad quaestus et lucelli turpitudinem aut certe illiberalitatem revocentur. Talia enim tempora, si non crassae cuiusdam et inhumanae barbariae adventum portendant, quae quum omni politioris humanitatis culturae, tum litteris atque artibus liberalioribus pestem et exitium importatura sit, certe quidem illud prohibere atque impedire, ut ne in iis ulla ad melius progressio fiat, qualem videre atque animadvertere optimi cuiusque maxime interesse debeat. Quam quidem fortunam optimarum artium nos nuper tacita mentis cogitatione nobiscum reputantes, AA., et quae inde consecutura essent, non sine quodam ani-

mi moerore considerantes denique eo perducti sumus, ut quaerere institueremus ac circumspicere, quibusnam rationibus metus ille virorum gravissimorum niteretur, et num quae reperirentur caussae, quae etiam in hac praesenti rerum condicione sperare iuberent futurum esse, ut cultioris humanitatis semina atque fructus, qui multorum seculorum debentur industriae et labori, non iam negligerentur, sed porro etiam foverentur atque conservarentur. Qua quidem commentatione si dico animi mei tristitiam ac sollicitudinem aliquantum esse lenitam ac propemodum sublatam; causam certe idoneam habere videbor, AA., cur me illius non poenitere aperte profitear, adeoque eius fructum aliquem cum aliis quoque communicari velim. Dabitis igitur mihi hanc veniam, ut hodie in hoc solemnii conventu de eadem re verba facere liceat. Quanquam enim nihil dicturus sum, quod vestram ipsorum intelligentiam fugiat, tamen reverso eo temporis articulo, quo severis meditationibus de futuro rerum nostrarum statu indulgere et meliora praesentibus sperare atque optare solemus, certe nobis omnibus, quotquot eruditae vacamus studiis, grata erit atque incunda earum rerum cogitatio, in quibus quum ipsi quasi vitae tabernaculum posuerimus, tum iam dudum intelleximus, haud exiguam partem publicae pariter atque privatae salutis esse repositam. Dicam igitur bona venia Vestra de caussis quibusdam, *cur etiam hac nostra aetate de cultioris humanitatis litteris atque studiis bene sperare liceat.*

- Et humanitatis quidem litteras atque studia, AA., non dicimus sensu illo angustiore, quem perversa recentioris aetatis consuetudo constituit, sed ampliore illo atque digniore, quo veteres, quidquid lit-

terarum melioris naturae nostrae desideriis explendis inserviret, eo nomine complexi sunt. Est enim profecto humanitatis virtus ac praestantia posita in ea, ut summorum bonorum, veri, boni, honesti, praeter cetera animalia compotes simus atque participes. Ex quo consequens est, ut omnia ea litterarum studia humanitatis laudem mereantur, quae rerum humanarum divinarumque studium et amorem suscitant, quae lumen rationis accendunt, quae ad bene honesteque vivendi consuetudinem perducunt, quae efficiunt ingenuam ac liberalem sentiendi cogitandique rationem, quae denique aliquo modo valent ad excolendas perficiendasque eas naturae nostrae vires, quarum usu et exercitatione ceteris excellimus animalibus et ad similitudinem cum ipso divino numine accedimus. A quibus quidem studiis facile apparet plane seiuncta esse ac segregata illa, quae non tam mentis ingeniiue sollertia, quam usu nulla ratione collecto continentur; quae minus animo quam corpori praebent pabulum; quae necessitati potius, quam libero virium nostrarum usui debent originem; quae denique magis ad quaestum et vitae quotidianae necessitates comparata sunt, quam ad mentis animique eruditionem aut honestam aliquam ac liberalem oblectationem. Quae quidem studia quamquam et ipsa sunt necessaria, quoniam sine eorum auxilio, quae ad vitam sustentandam opus sunt, comparare nobis non liceat; tamen, quia eius maxime nostri partis necessitatibus vel deliciis famulantur, quae nobis cum belluis communis est, ad humanitatem parum aut nihil pertinere iudicari debent. Ex quibus perspicuum est, AA., nomen humanitatis a nobis omnino traduci ad universum earum artium ac disciplinarum orbem, quae liberalio-

rem quandam atque politio<sup>re</sup>m mentis animiq<sup>ue</sup> culturam efficiunt eiusque laudem maxime sequuntur. Haec vero studia praestantissima, quae ab illiberali ac sordida utilitatis cupiditate adeo abhorrent, ut, si ad eam referantur, protenus etiam propria sua dignitate ac splendore exuantur, haec, inquam, studia non esse censeo, cur hac nostra aetate per eam, quae nunc cum maxime viget, victus cultusque curam detrimenti quid captura esse suspicemur. Cuius quidem sententiae nostrae causas et argumenta explicantibus nobis, ut ne vos, AA., vestram audientiam velitis recusare, hoc illud est, quod vos iterum iterumque rogamus.

Ac primum quidem illud videmur non temere statuere et affirmare, ipsam per se melioris fortunae cupiditatem atque desiderium ingenuis litterarum studiis adeo non officere, ut, nisi ad immoderatam usque lubidinem excreverit, eadem etiam adiuvare, sustentare, amplificare videatur. Habent enim profecto litterae atque studia humanitatis eandem cum externa hominum vita necessitudinem et coniunctionem, quae intercedit inter animum atque corpus. Quod si virium caret integritate aut prae inopia rerum ad victum necessariorum maceratur, en animus quidem libere agitur aut ad earum rerum sese extollit usum et exercitationem, quarum contemplatio divinam eius originem maxime testatur; sin autem est sanum, validum, bene constitutum, tum vero mentis animique virtus tota emicat atque gressu non impedito ad ea enitur, quibus cognoscendis, colendis, exercendis veluti alitur et nutritur. Similiter igitur etiam universos populos atque gentes videre licet tum fere ad maiorem quandam pervenisse politioris culturae et humanitatis laudem, quum singularis aliqua for-

tuna ita evenisset, ut in maiore quadam externorum bonorum affluentia etiam hominum studia vehementius excitarentur et ad ea omnia converterentur, in quibus posita sunt externae felicitatis fundamenta et praesidia. Quid enim caussae fuisse putatis, AA., cur inter omnes Graeciae gentes coloni illi, qui oram Asiae minoris occidentalem occupaverant, primi ad singulare illud eruditionis et humanitatis fastigium escenderint, quod nobis intuentibus etiam nunc summam movet admirationem? Enimvero contigerat Ionibus atque Aeolibus singulari fortunae beneficio, ut non modo ceteris Graecis maturius libertatem civilem atque respublicas sapienter institutas haberent, sed etiam uterentur libero cum aliis gentibus commercio, raramque sibi in pacatis terris oblatam viderent vitae ornandae et instruendae occasionem. Quid porro effecisse arbitramini, ut artes atque litterae ex illis Asiae oris insulisque adiacentibus eductae Athenas commigrarent ibique sedem quasi suam ac domicilium invenirent? Non errare videmur, AA., inter caussas eius rei complures non levissimam hanc fuisse iudicantes, quod inde ab eo tempore, quo bella cum Persis gesta sunt, fortuna Atheniensium adeo amplificata atque aucta est, ut honorum, opum, divitiarum studia inter omnes civium ordines quasi in certamen provocarentur. Confluxerunt enim inde ab illa aetate Athenas tanquam in commune quoddam Graeciae emporium omnia, quae ad exhilarandam ornandamque vitam plurimum momenti facere iudicantur. Quo ipso factum est, ut eo usque cresceret opum et honorum cupiditas, ut ipsa denique sapientiae virtutisque disciplina ad utilitatis fructum referri inciperet, cuius magistri, quae plebi avarae et ambiciosae placerent, ea tanquam vera et honesta tra-

dere et commendare omnibus non verecundabantur. Quid vero? suntne tunc temporis extincta cultioris humanitatis atque eruditionis semina? Imo vero eadem illa laetissime progerminarunt, maturuerunt ac pulcherrimos fructus extulerunt, adeo ut Athenarum urbs inde ab hoc tempore omnium laudatarum artium inventrix ac procreatrix habita sit. Ac, ne in una replicanda rerum antiquiorum memoria substitisse videamur, AA., cogitate quaeso ea tempora, quibus quasi fundamenta iacta sunt eius rerum condicionis, qua aetas recentior usque ad hunc fere diem iure suo gloriata est. Excussi tunc primum sunt mediæ aevi squalores, atque excitatum politioris lautiorisque vitae desiderium; plurimae res eaeque ad opificia, artes, mercaturam gravissimae similiter atque nostra aetate recens inventae; longinqua itinera in remotissimas terrae regiones primum felici eventu suscepta; quin etiam amplissimae latissimeque patentes orbis terrarum partes, quae antea non fuerant cognitae, nautis et mercatoribus stupentibus primum patefactae et apertae. Quid igitur mirum, quod tunc rei familiaris augendae cupiditas atque avaritia sese extulit insolentius et plurimorum hominum animos occupatos tenuit? At enim vero tantum abest, ut id bonarum studiis litterarum fuerit exitiosum, ut plurimum utilitatis attulerit. Sunt enim his ipsis rebus animi hominum quasi praeparati et idonei facti ad excipienda et fovenda semina eius doctrinae et eruditionis, cuius luce, quae postea insecuta sunt saecula, collustrata sunt et magno beneficio nostro ad hunc usque diem collustrantur. Enimvero etiamsi subinde inter universas gentes atque nationes tanta vis cupiditatum emergat, ut omnia vulgo putentur ad utilitatem, ad voluptatem, ad vitae suavitatem referri

oportere, tamen, nisi eadem denique fiant plane effe-  
ratae et ad brutarum animantium abiiciantur ferita-  
tem, certe non in omne tempus manent immemores  
earum rerum, quae ad humanae naturae dignitatem  
ideoque etiam ad ingenuarum litterarum culturam per-  
tinent, quoque vehementior est ardor cupiditatis,  
eo citius fere relaxatur. Adeo igitur verum est, quod  
dicit Seneca. „Sanabilibus, inquit, mortales aegro-  
tant malis, et ipsa nos in rectum natura, iuvare si  
velimus, iuvat.“ Habent enim mala nostra hoc, ut  
saepe per se ipsa corrigantur.

At enim vero, dixerit quispiam, ut verum sit,  
quod nunc docere conatus es; quo tandem argumento  
illud evinces, haec studia humanitatis, quae inde a  
tempore instauratae ecclesiae maxime apud nos flo-  
ruerunt, etiam postero tempore conservatum atque  
auctum iri? Nam quae hactenus oratione tua expo-  
nisti, iis vero nihil efficitur nisi hoc, posse ea etiam  
perro consistere et vigere; sed illud, quod multorum  
angit animos, nondum exemisti, siquidem in iis, quae  
nunc cum maxime fervent, hominum studiis neminem  
litterae potest, nimium saepe confundi bonum cum utili  
et iucundo, in eaque rerum maxime discrepantium  
confusione quaerendum esse praecipuum perpetui  
studii ac litterarum floris impedimentum. Accipite  
igitur alteram causam, AA., propter quam optima-  
rum artium ac litterarum studia existimemus non  
tam in eo discrimine versari, ut de causa eorum de-  
sperandum sit. Posita illa in eo est, quod sensus veri,  
pulcri atque boni inter nostros haudquaquam iam  
penitus intermortuus est, qui quamdiu viget, nec de  
litterarum ac studiorum humanitatis salute actum  
esse putare recte licebit. Est enim immensa divini  
numinis sapientia et benignitate ita institutum, AA.,

ut animus humanus non tantum infinitae et nunquam prorsus consummandae eruditionis capax sit, sed etiam, ubi semel suam ipsius praestantiam ac dignitatem sentire coeperit, acerrimo illius ac perpetuo stimuletur desiderio. Cuius quidem desiderii vis ita demum hebescit et obtunditur, si ipse animus aut libertate sua per vim et fortunae malignitatem spoliatur, aut ingruente barbarie ac feritate, ademptis desiderii illius explendi adminiculis, ad stuporem et immanitatem detruditur, aut denique tanta exagitur cupiditatum ac lubricum intemperantia, ut tandem omnes virtutis nervi tanquam concidantur. Quorum omnium si nihil nativam ipsius vim retardat vel opprimit, tum vero naturam tanquam ducem et magistrum secutus vel in maximis difficultatibus ad id eluctatur, quod sibi tanquam summum et extremum videt propositum, et in quo veluti proprium munus suum sentit contineri. Quod ipsum de universis populis iudicandum est, inter quos quamdiu naturalis ille sensus humanitatis atque cultioris eruditionis amor non prorsus deletus est et extinctus, tam diu nec negligentur aut penitus in contemptum abibunt, quae valent ad vires mentis corroborandas, ad virtutem animi nutriendam et alendam, ad insitam vim ingenii promovendam, denique ad rerum gravissimarum amorem excitandum et augendum, nec unquam metuendum erit, ne earum litterarum studia in perpetuum vilescant, quae, etsi nihil fere cum vitae externae commodis habeant commune, tamen ipsam vere humanam efficiant. At vero, inquit aliquis, estne ista ipsa nostrae aetatis ratio, ut immoderatae cupiditatis ac lubricum violentia generosum liberalioris eruditionis veraeque humanitatis amorem ne dicam penitus infregerit, at certe mirum quantum imminue-



rit ac debilitaverit? Videsne homines vulgo, omissa rerum graviorum cura, id tantummodo agere, ut suas res, suas utilitates, suas voluptates, in tuto habeant? Atque ipsarum litterarum considera condicionem: nonne enim eae tantum doctrinae partes iam a multis adamantur atque praedicantur, quae aliquem utilitatis fructum promittant et vitae quotidianis usibus interserviant? nonne coepti sumus quasi illuvie quadam obrui eorum librorum, qui quum voluptatum nequitiae interserviant, tum incredibile dictu est, quantopere offecerint severiorum studiorum gravitati? Fateor equidem, AA., luem istam, proh dolor, non mediocriter grassari coepisse: sed idem tamen contendere et affirmare non dubito, tantum adhuc inter nostros vigere in optimas artes ac disciplinas reverentiam, tantum esse multorum erga doctos et eruditiores homines favorem, tantam denique inter eos ipsos, qui litteras profitentur, studiorum contentionem, ut, etiamsi lumen doctrinae liberalioris revera periclitetur, tamen satis supersit fomitis, in quo quotidie non dicam denuo accendatur, sed prorsus inflammetur. Vigent enim etiam nunc laetissime theologiae, iurisprudentiae, artis medicae studia. Habent amicos suos et patronos historia, mathesis, antiquitatis disciplina. In magno honore habetur sapientiae disciplina, unde, tanquam ex perenni et inexhausto fonte, nova semper ducuntur vitae sapienter regendae et emendandae praecepta. Sedulo prospicitur educationi iuventutis et privatae et publicae, in quam summam ac plane singularem curam conferri videmus. Denique nec desunt principes atque magistratus, qui litteris et artibus iustum tribuant honorem, quo uno eas maxime ali atque excitari sapientissimi quique arbitrantur. Quid igitur? haec quum sit rerum no-

strarum condicio, ecquis est, quin rem nondum eo adductam esse largiatur, ut liberaliori doctrinae iamiam ruinam instare existimandum sit? Nam illud quidem certe nos non adeo sollicitos habere debet, quod aliae litterarum partes, quae olim in deliciis habebantur summoque tractabantur studio, nunc non amplius antiquo fruuntur honore ac paene iam eviluerunt, dum interim aliae, quae a maioribus vel contemnebantur vel ignorabantur, coeptae sunt diligi, excoli, perfici. Tempora enim mutantur, habentque etiam litterarum studia orbem quasi suum, quo circumactio fit, ut et ipsa communi rerum omnium vicissitudini obnoxia esse appareat. Nisi forte quis existimet, non aliam dudum inter nostros regnare studiorum rationem, quam quae ante hos L annos vel eo tempore viguit, quo in patria nostra ab Reuchlino, Lutherò, Melanchthone, Camerario, aliis, ingenuis litteris honos suus rursus restitutus est: aut Caroli illius Magni aetate eandem fuisse illorum condicionem, quam postea multorum saeculorum decursu acceperunt. Dummodo igitur inconcussa sint ipsa doctrinae et eruditionis fundamenta, neque totum eius aedificium communi hominum inertia vel perversitate aliquando labefactetur, salva certe inter nostrates manebit causa humanitatis, neque litterae ei dicatae unquam neglectae aut sepultae iacebunt. Quin sperare licet, futurum esse, ut in his tantis rerum mutationibus, in tam fervidis vitae ornandae lautiusque tuendae studiis, in tam incredibili denique hominum industria, qua adeo occultae antea naturae vires humano imperio subiiciuntur, etiam ipsae novas assumant vires, et per ea, quae nunciis obiecta videntur, impedimenta citius ad maiorem perfectionem et absolutionem perducantur.

Atque hic video venisse me ad tertiam orationis meae partem. Quum enim et rerum gestarum memoria et praesens cultus atque eruditionis status de litterarum humanitatis et studiorum fortuna tranquillos nos esse iubeat; tum etiam fides divinae providentiae, qua res humanas sapientissime et benignissime gubernari credere fas est, certissimam spem affert, nunquam ita esse eventurum, ut eae artes ac disciplinae, quibus unis maxime genus humanum ad perfectae eruditionis et humanitatis fastigium educitur, vel nefario contemptu extinguantur vel impio usu temere profanentur. Fuit enim semper atque etiam nunc est sententia hominum sapientissimorum una et consentiens, AA., tantum in illis litteris praesidii positum esse ad virtutem humanitatis nutriendam, augendam, confirmandam, ut, praeter unam divinae religionis doctrinam, nullum reperiatur illis efficacius ac potentius adiumentum ad eius laudem aliquam consequendam. Quin ipsam etiam religionis doctrinam sine illis confitendum est magnopere debere, quae, quantis erroris vel adeo fraudis periculis sit exposita, si earum luce et elegantia careat, aeternae hae exactorum saeculorum memoria certissime testatur. Nec vero quemquam cordatiorem ac praestantius hominem extitutum putamus, qui, quae maxime iudicia amplexatus, eandem vim salutarem adhibeat artibus, quae maxime ad vitae externae necessitates comparatae sunt. Hae enim vitam lautiores quidem ac politiores, nec vero nobiliorem atque humaniorem, reddunt, aut certe ad id non tantumdem valent, ut rudes hominum mentes ad sapientiam instituuntur, ut inculta ingenia ad eruditionem perducantur, ut denique abiecti ad res terrestres animi ad rerum excelsiorum graviorumque curam et medita-

tionem excitentur. Quod quidem ita se habere, clarissime cognoscitur exemplo earum gentium ac populorum, qui, quantumvis iis artibus gauderent omnibus, quibus externae vitae commodis prospicitur, tamen ad maiorem quendam humanitatis laudem non escenderunt. Neque enim Aegyptii illi veteres, etsi multarum rerum notitiam diuturna naturae observatione comparatam tenebant, ullo modo cum gente Graecorum humanissima comparandi sunt; neque inter huius aetatis populos qui vel artium factitandarum sollertia vel politioris vitae elegantia et morum urbanitate ceteris omnibus excellunt, gravissimarum autem artium et litterarum studia vel etiamnunc ignorant vel cognita olim prae socordia et mollitie intermiserunt, illud verae eruditionis et humanitatis fastigium obtinere putandi sunt, quod attigerunt ii, qui in his sedulo elaboraverunt. Quum igitur in his litteris atque studiis maximum ac potentissimum insit praesidium et adiumentum consequendae eius humanitatis, quae naturae nostrae perfectioni maxime conveniat, quumque deum credere debeamus in eo ipso summum voluisse vitae humanae pretium et ornamentum, ut ad propositum illum finem perveniatur; ecquis est, AA., qui non tam optet, quam speret ac certo confidat, futurum esse, ut ne his quidem temporibus, quibus homines vulgo videmus victus cultusque maxime curam agitare, illarum artium ac litterarum usus negligatur, aut pravo voluptatis et utilitatis studio corrumpatur? At enimvero, dixerit quispiam, nonne illud tamen olim evenisse constat, ut gentes et nationes cultissimae et inter quas maxime vigerent ingenuarum litterarum studia, rursus in tantam reciderent ignorantiae, superstitionis et ignaviae barbariem, ut pristinae virtutis suae prorsus immemores fierent?

Cogita enim Athenas illas, ubi olim humanitas ipsa habitare visa est, cogita Alexandriam, celeberrimum optimarum artium quondam primis Ptolemaeis regnantibus perfugium, cogita Constantinopolin, quae olim fuit quasi conservatrix quaedam atque custos omnis doctrinae liberalioris, nonne haec loca, olim Musis ipsis consecrata, tantam experta sunt fortunae inconstantiam et varietatem, ut a summo humanitatis fastigio iam ad extremae barbariae tristitiam abiecta conspiciantur et miserandae inhumanitatis squaloribus oblecta et sepulta iaceant? Fateor equidem, AA., neque quemquam fore arbitror, quin hanc rerum humanarum vicissitudinem intimo pectore doleat ac miseretur. Sed quid ista singularum urbium et locorum, quid haec singularum gentium ac populorum fata demonstrare arbitramini? An putatis eorum consideratione effici hoc, ut liberalioris doctrinae lumen magis magisque per universum terrarum orbem obscuratum aut extinctum esse existimari debeat? Enimvero tantum profecto abest, ut tristibus illis cladibus prostrata sit eruditio et doctrina humanior, aut penitus oppressa, ut divinae providentiae sapientissimo consilio per easdem sit multo latius propagata atque in plurimis orbis terrarum partibus extiterit salutarior. Quid quod haec ipsa inde orta est, qua nunc fruimur, rerum nostrarum condicio, qua artium ingenuarum studia in omnibus cultioris Europae regionibus tam stabilem acceperunt sedem, tamque certum ac tutum domicilium, ut, nisi ipse humanitatis sensus in toto humano genere interciderit, iam nullis inde turbis, nulla vi cupiditatum, nullo armorum tumultu, nulla denique barbarie rursus eiici aut expelli posse videantur.

Quum igitur et cura divinae providentiae, et praesentis rerum status cogitatio, et praeteritorum temporum memoria hoc suadeant, AA., ut ne de eorum bonorum, in quibus maxima insunt humanitatis alendae, instruendae, exornandae praesidia, possessione solliciti sinus; profecto viri sapientis est, posito rerum futurarum metu vel instantium timore vitae munia sic obire, ut, si officii rationes ita ferant, illorum causam fortiter adjuvare, utilitatem sustentare, fructum denique tueri conetur. Quod quidem officium atque munus hominum doctorum sicuti per se est ingenuae voluptatis plenissimum, ita etiam eos fructus habet propositos, qui non tantum praesenti tempori, sed serae posteritati profuturi sint. Atque hanc ipsam ob causam profecto mirandum non est, quod, qui semel optimorum studiorum amore imbuti sunt, hi eum fere nunquam rursus deponunt, sed per totam vitam integrum et illibatum conservant, ita ut omnia consilia sua atque studia per eum regi patiantur. Cuius quidem rei illustre exemplum quum omni tempore alii multi prodiderunt, tum etiam prodidisse iudicandi sunt, AA., quos praeterito anno huic civitati nostrae ereptos lugemus. Ex quibus ante omnes memorandus nobis est *Chr. Ludov. Stieglizius*, qui, quantum optima studia ad virtutem ac sapientiam possint, non solum doctrina et eruditione, quae in eo sane maxima fuit, sed etiam liberalitatis, mansuetudinis, humanitatis exemplo demonstravit luculentissime, atque inprimis eo etiam patefecit, quod hanc nostram bonae mentis officinam, cui per multos annos amplissimi Senatus iussu Curator praefuit, avi et parentis in eam aemulatus merita, tantis sibi obstrinxit beneficiis, ut nomen Stieglizium, quamdiu

hic adolescentes ad virtutem ac sapientiam instituuntur, perpetuo splendore perduraturum sit. Pari virtute insignes fuerunt etiam *Aug. Henr. Clodius* et *Gottholdus Weiskius*, qui, etsi in dissimili genere litterarum elaborarunt, tamen hoc certe habuerunt commune, quod uterque, contemptis vulgaribus hominum opinionibus atque humilibus studiis, artibus atque doctrinis tribuit plurimum, in earumque assiduo usu non minimam laudem ac virtutem positam esse indicavit. Et quis est quin ultro fateatur, hanc eandem mentem etiam eius viri fuisse, quem nuper demum acerbo sane funere amisimus? Fuit enim *Io. Dav. Goldhornius* is, qui, quum optimarum litterarum disciplina esset perpolitus, non modo in earum studiis magnam vim magnumque momentum positum esse intelligeret ad vitam humanam nobilitandam, sed etiam in gerendis negotiis viri vere sapientis et eruditi laudem consecraretur, ita ut tales homines nunquam mori debuisse dicerem, nisi egregiorum virorum virtutes etiam post ipsorum mortem manerent superstites.

Horum igitur virorum, quibus praeterito anno contigit, ut ab humanarum litterarum studiis ad beatam rerum divinarum contemplationem evocarentur, quamdiu apud nos non deerunt qui similes sint, quamdiu reperientur, qui quum doctrina et institutione, tum opere suo atque vita bonarum artium ac litterarum causam adiuvent, sustentent, commendent denique; profecto etiam humanitatis cultura porro vigeat, neque studium earum rerum, quae ad vitae externae cultum pertinent, ullo modo prohibebit, quominus ea in posterum quoque inter omnes magna aestimetur atque privatim pariter atque publice habeatur utilissima.

Quam quidem spem atque cogitationem firmiter animis nostris retinentes nos, quibus divino beneficio hoc muneris obtigit, ut laetissimis litterarum ornamentis perfruamur, eiecta ex animis nostris vana sollicitudine, grati laetemur eorum bonorum possessione, quorum usum divini numinis benignitas nobis ad hunc usque diem perpetuo largita est; utamur religiose quavis eruditionis et doctrinae promovendae opportunitate atque a studiis nostris humiles sordidasque cupiditates procul habeamus; denique de fortuna doctrinae et eruditionis spem nostram et fiduciam in eo reponamus, qui infinita sua potentia atque sapientia res humanas ita gubernat ac moderatur, ut in summis, quae nobis videntur, malis denique omnia prosperum habeant exitum!

---

## CAROLI ERNESTI CHRISTOPHORI SCHNEIDER

### DISSERTATIO DE RECTA PHILOLOGIAE TRACTANDAE RATIONE. \*)

---

Scitis, Commilitones, non solum illis temporibus, quae pristina vitae forma deleta, antequam nova constituta esset, omnium rerum perturbatione laborabant, quicquid litterarum quasi futurae doctrinae

---

\*) Praemissa Indici lectionum in univers. litter. Vratislaviensi per hiemem a. 1828 instituendarum.



semen conservaretur, ab antiquitate petatum fuisse, sed etiam tum, quum mens humana resipiscere atque origine sua digniora petere didicisset, et incitamenti et adimenti magnam partem ab eadem antiquitate venisse, indeque ab illa aetate universae doctrinae fundamenta et liberalem ingeniorum cultum antiquarum studiis litterarum contineri coepisse, quibus tantum denique ab nonnullis tribuebatur, ut egregio humaniorum nomine insignirentur, vel tamquam unice homine digna et humanitatis perfectionem impertientia, vel quia, exceptis rebus divinis et ad theologiam pertinentibus, reliquam hominis scientiam omnem complecterentur. Nec mirum videbitur reputantibus conditionem litterarum, qualis antea fuerat, tanto opere homines paullulum supra vulgus sapientes veterum scripta admiratos, tanto studio in eorum lingua ediscenda versatos, eaque in scribendo, loquendo, cogitando potius quam vernacula usos reperiri. Vernacula enim maiorum nostrorum quum litteratura tum lingua illo tempore, quo primum inventa arte typographica renascebatur doctrina, nequaquam talis erat, quae satisfacere ingeniiis melioribus posset. Latina vero, quamvis et ipsa misere depravata, tamen ex pristino statu tantum utilitatis retinebat, ut, quicquid doctiores scriberent, latine scriberent, et universae qualiscunque erat scientiae hoc quasi vas et receptaculum haberetur, cuius rei quum alia tum hoc in causa fuit, quod maxima pars hominum litteratorum vitae venere separati a popularibus agebant. Postquam igitur divino artis illius beneficio factum est, ut ad geterum Romanorum scripta paucis adhuc et imperfecte cognita aditus pateret omnibus, idem evenire necesse fuit, quod, si qui diu per sterilia loca aspe-

ctuque tristia vagati subito in fertiles atque amoenas regiones deferantur, quae licet remotae a finibus patriae sint, nihilominus videas errabundos ibi sedes ponere, quam deserta repetere malle. Paulo post, quum expugnata a barbaris Constantini urbe praecleara homines graeci patriarum litterarum periti in Italiam confugissent, harum quoque pulchritudo superioribus seculis vix uni et alteri nostratium velut per transennam aspecta et ipsius Italiae doctoribus desiderata magis, quam cognita lucere omnibus coepit. Sic, reclusa non sine numine antiquitate utraque, nova erat via ad doctrinam munita, qua quum plerosque eorum, qui postea ingenio et virtute inclaruerunt, usos videamus, meliorem sterni non potuisse, nisi forte casu existere viros praecellosos statuimus, credere cogimur. Ex illis gymnasiis enim, quae vetere nomine haud inepte dicebantur, nam ingenia in his, ut in veteribus corpora, exercentur, et a subtiliter traditis latinarum et graecarum litterarum elementis profecti sunt omnis generis praestantes viri quam plurimi, quibus civitates nostrae floruerunt. Quarum quae res suas commodius administrant, nunc quoque, tantis in reliqua educatione mutationibus factis, tamen ad eruditionem institui cives suos eadem illa a maioribus reperta via iubent. Cuius institutionis nunc patrocinium suscepturi non sumus adversus eos, qui, scientiam per se solam vilipendentes, et humanitatis, cuius amorem nomine prae se ferrent, ignari, nihil in scholis tradendum putabant, nisi quod ad vitae necessitates facilius et certius comparandas faceret, et quoniam raro accidit, ut in mercatura aut peregrinatione latine loquendum sit aut graece, ea vero, quae scitu digna in veterum scriptis sunt,

iam dudum in vernaculam cuiusque translata leguntur, accuratum antiquitatis studium non solum inutile, sed etiam damnosum existimabant. Horum enim commenta cito delevit dies, et oppositis scholis novitiis veterum gymnasiorum praestantia magis apparuit. Sed nihil in rebus humanis abusum non admittit, et, quo quid recte adhibitum salubrius est, eo gravius perperam tractatum nocet. Quemadmodum igitur theologos videmus et philosophos et reliquarum disciplinarum alumnos ex suorum quosque studiorum male instituta ratione non solum nihil ad scientiam et humanitatem proficere, verum etiam iacturam facere virtutis et sapientiae; ita litterarum antiquarum disciplinam, ubi secus administratur, detrimentum inferre animis necesse est, idque tanto maius, quanto tenerioribus et facilius in errorem impellendis adhiberi solet. Et quum diversas in partes errandi occasio detur, diversis et contrariis vitiis laborant, qui rectae rationis compotes non fiunt. Alii infinita verborum et regularum multitudine memoriam onustam gerentes obtuso utuntur iudicio, permulta dum discunt, nihil intelligentes; qui quum scholae cursu emenso ad altiora animum appulerint, ea, quam unam pueri exercuerunt, memoriae facultate nisi omnia recipiunt, quae eis traduntur, denique multarum formularum notitia instructi muneribus publicis potiti negotio serviunt illiberaliter, consuetudinem pro natura habentes, vitaeque tela detexta nec vestigium nec desiderium sui relinquunt. Alii subtilius, quam ingenium puerile fert, linguarum veterum elementa edocti, generoso quodam discendi et memoriam exercendi contemptu imbuuntur, et reverentiam veri, quod rebus ipsis inest, abiiciunt; deinde aliarum disciplinarum fines

ingressi iudicium, quo exercitato utuntur, ad omnia adhibent, sed quia cognoscendi taedium reformidant, de incognitis pariter atque de cognitis iudicantes, quum semet ipsos tum alios decipiunt et sophistarum illorum similes fiunt, quorum sapientiam neque litteris neque civitati profuisse satis constat. Item diversis modis a vero aberratur in argumenti et, ut ita dicam, materiae litteris antiquis subiectae tractatione. Nam quum id, quod libri veterum Graecorum et Latinorum continent, duas partes habeat, quarum altera rebus, quae proprie dicuntur, hoc est, enuntiatis, altera rerum forma seu enuntiatione constat, alios videmus vel rebus intentos magno labore minutissima quaeque ad facta, instituta, placita, mores antiquorum pertinentia conquirere, talia ut inveniant, scriptores perlustrare, inventa secundum capita quaedam disponere et hanc demum antiquitatis scientiam appellare, vel eodem minutorum amore captos simile studium in forma collocare, verborum componendorum non leges et rationes, sed fortuito oblatas occasiones scrutari, quae quibus iuncta reperiantur, quae non reperiantur, magno negotio definire, grammaticorum quaelibet de litteris, syllabis, vocibus praecepta memoriae imprimere, haec qui semper in promptu habeat et ad iudicium de corruptis veterum scriptorum locis faciendum adhibere possit, eum verum philologum dicere. His utrisque, qui licet diversis in regionibus errent, tamen propter communem erroris causam, a neglecto iudicii usu repetendam, et, quoniam pariter, leviora, gravioribus praeferentes neque ipsi dignos laboribus suis fructus percipiunt, neque aliis percipiendi facultatem impertiunt, uno et eodem loco habendi videntur, his igitur oppositi sunt, qui

vel rerum vel linguae scientiam, prouti alterutram neglexerint, sine accuratissima partium cognitione haberi posse existimantes, principiis quibusdam vel a philosophia petitis vel ab altera parte, quam tenent, adscitis, quasi aedificium sibi aliquod alterius quoque instruunt, quod, quum suis fundamentis careat, non modo firmum esse, sed ne alteram quidem partem incorruptam relinquere potest. Etenim, ut rerum cognitionem a linguae scientia diversam faciamus, nonne maximam rerum partem ex linguae monumentis petere debemus? Quomodo igitur linguae non dicam imperitus, sed mediocriter gnarus, ab erroribus sibi cavebit? Vicissim quum verborum, quibus lingua constat, plurima pars res significet, quarum rerum forma et conditio aliis temporibus alia et secundum gentes diversa sit, quomodo verba ab eo, qui rerum notitia caret, recte aut certo intelligi poterunt? Sed magis etiam errare, qui alteram partem ab altera secernant, ex eo apparet, quod utraque ad historiam pertinet et eundem finem propositum habet. An vero aliud volumus, quum facta a veteribus Graecis et Romanis, quum rerum civilium bellicarumque formas, quum religionem, doctrinam, artes, quum vitae privatae consuetudinem intueri conamur, aliud, quum linguae, qua usi sunt, originem legesque indagamus? Non utriusque studii idem fructus quaeritur, ut mentis humanae natura patefiat, efficientia conspiciatur, virtus illustretur? Atqui illarum rerum, quas priore loco diximus, tam varia species est tamque ambigua saepe causa et indoles, ut neque in unum facile conspectum redigi, neque ad hominum auctoritatem magis, quam ad fortunam aut casum, referri posse videantur. Itaque certiore quodam documento opus est, ex quo ipsum

hominum priscorum ingenium colligatur, et vera animi illorum imago informetur. Tale autem documentum et testimonium indolis suae linguam reliquerunt, cuius cognitio ob id ipsum ad populum cognoscendum haud minus necessaria statuenda, quam Socrates olim hominem cognituro necessarium statuebat loquentem audivisse. Verumtamen et hominis oratio nonnunquam fallit, et populorum ingenium ex lingua sola perspicere non potest, propterea, quod intelligendi quidem et sentiendi ratio unicuique propria per linguam expressa prodit, agendi vero modus, quamquam ab intellectu sensuque pendens, tamen et voluntate libera nititur et pro externarum rerum conditione variam saepe formam induit, ut in cogitandi et loquendi similitudine valde possit dissimilis existere. Qui igitur accuratam illam et perfectam praestantissimorum populorum cognitionem quaerit, linguarum studio rerum ad eos pertinentium investigationem coniungere, non alterum prae altero contemnere debet. Iam vero facile intelligitur, quoniam in scholasticam disciplinam et in adolescentes aliis quandoque litteris operam daturus duplici ista, quam significavimus, institutionis philologicae vitiositate incommoda redundant. Qui minutis gaudent praeceptores, parvis rebus plurimum, magnis nihil tribuentes, ii liberaliore ingenio praeditos pueros aversatione litterarum antiquarum replent, et, quamvis invitì, faciunt, ut, quarum speciem et pulchritudinem nunquam viderint, earum osorès discedant; similes vero sui discipulos nacti, ut sunt quorundam ad cernendum acuti, ad conspiciendum hebetes oculi, eadem, qua ipsi laborant, obscura imbuunt diligentia, et angustos atque humiles ad suum quemque litterarum genus dimittunt.

Contra qui orbem litteraturae antiquae dividunt et alterutram partem discipulorum inertiae condonant, eorum ex schola prodeuntes aut sciendi studium prorsus abiiciunt, quorum quidem ingenium ad neglectam a magistro partem inclinaret, aut, dimidium pro toto sectari consueti, non indocti, sed, quod peius est, semidocti fiunt. Haec si gravia videntur, quae abusum philologiae sequi solent, minus mirabimur, etiam bonos viros et rei publicae amantes totam disciplinam suspectam habere, et artioribus finibus includere multisque aliis admistis temperare velle, praesertim quum fatendum sit, non omnem in praeceptoribus culpam residere, sed ipsam quodammodo philologiam ad abusum pellicere. Innumerabilem habet discendorum copiam, ideoque memoriam ante omnia et aliquamdiu solam exerceri iubet: quid mirum, si iudicandi facultatem retardet? Haud pauca continet obscura et ambigua, quorum certas causas reddere difficillimum sit: quidni post multas frustra institutas quaestiones, post irritas et fundamento carentes disputationes denique inania captare, vanis acquiescere, fallaciis delectari mens incipiat? cui ad sanitatem revocandae tantum abest, ut veterum scriptorum lectio inserviat omnium, ut ipsos illos, quos minime deceret, sapientiae et virtutis doctores speciosa pro veris amplexos a sophismatis non abhorruisse constet. Quid quod universae antiquitati, si secundum scripta censetur, pulchrum magis, quam verum et bonum curae fuisse videatur. Ea porro, quae parva et minuta diximus, quorum amore mens deprimatur, tam arte cum gravissimis maximisque cohaerent, ut haec sine illis teneri nequeant, ipsa vero, nisi adamata, edisci posse non videantur. Materiae denique litteris illis subiectae

tantus ambitus est, adeoque moles crevit et in dies accrescit, ut vitae pariter atque mentis humanae spatium quamvis amplissimum superet. Si igitur divisionem fieri nolumus, ne semidoctos faciamus, nonne rem ipsam repugnantem habebimus?

His omnibus et quae praeter haec contra litteras antiquas dici possint, unum respondendum est, quo omnis periculorum suspicio deleatur; quod quale sit, vos quidem, Commilitones, fugere non potest, qui scientiae et nomen et operam dedistis. Nullum enim ex omnibus litterarum genus est, quod non multitudinem rerum cognoscendarum infinitam comprehendat, nullum, quod non, memoria sola receptum, intelligendi facultatem affligat, nullum, quod ab uno totum hauriri possit. Itaque ad omnia scientiam adhiberi oportet, quae fines ponat infinitis, una faciat ex multis, dispersa colligat et, ad leges suas quodque referens, necessitatis vinculo fluxa contineat; ad litteras autem antiquas magis etiam, quam ad alias, adhibenda est ideo, quod pluribus hae, quam aliae, et magis diversis partibus constant, quas nisi accurate discernimus, discretas rursus componimus, compositas denique ad unum illud, in quo veritas residet, conscientiae principium revocamus, non solum operae pretium non facimus, sed etiam in pericula gravissima incurrimus. Iam quod ad linguam attinet, quamvis varie de eius origine sentiant philologi, in hoc omnes consentiunt, neque magis cum animo coniunctum quicquam in rebus humanis inveniri, neque alia ex re ulla certius et facilius mentis nostrae naturam intelligi posse. Ab ea igitur litterarum antiquarum parte, quae in linguis versatur, quam proprie philologiam dicimus, scientiam non tantum admitti, sed flagitari apparet. Al-



tera autem, quae res complexa proprio antiquitatis nomine appellatur, quum tota historica sit, scientia ipsa esse non magis potest, quam historia, sed formam et utilitatem scientiae non minus, quam haec recipit, si omnia ad animum referuntur ita, ut sine proprietati cognoscendae inserviant, quædam factis, institutis, moribus populorum conspicere necesse est. Sed enim diu hoc litteris antiquis debitum persolutum non est, et sero scientia tractari coeptae sunt. Scilicet illius temporis, quod proxime renascentem doctrinam sequebatur, eruditi primum latinam, mox etiam graecam linguam pro vernacula habentes, leges utriusque a veteribus grammaticis traditas optime tenebant, sed de ratione legum, de auctoritate grammaticorum, de doctrinae eorum veritate non quaerebant, partim quia haec initia tantum eruditionis et praeexercitamenta puerilis aetatis ad altiora praeparanda, non scientiam, cui reliquam vitam consecrari fas esset, existimabant, partim quod libertate et auxiliis ad accuratiorem linguarum cognitionem necessariis carebant, de origine linguae, unde proficisci eius scientia debet, ut de multis aliis, libere disputare per religionem vetiti, scriptorum antiquorum exemplaribus minime emendatis, sed, ut initio non poterat non fieri, corruptis et truncatis usi, multis etiam, qui adhuc tenebris obruti iacebant, plane destituti. Postea quum plurimi in legendis et interpretandis scriptoribus operam ponerent, litterae autem antiquae non magis sui iuris fierent, consuetudine receptum est, ut, quae quisque de lingua pariter atque de rebus etiam subtiliter cogitata et docte enucleata haberet, per notas scriptori alicui illustrando subiectas dispergere, quam peculiari libro

exposita communicare cum aliis mallet; quo ex more duo incommoda simul exstiterunt, ut et a scriptoribus averteretur legentium animus, et multis ex locis magno temporis dispendio conquirenda essent, quae rectius potuissent uno conspectu percipi. Quod utrumque scientiae magno detrimento fuisse apparet. Accedebat ad haec, id quod nunc quoque nonnullis obest, quod, quum plerique elementa litteraturae antiquae, quorum in caussis intelligendis scientia versatur, ea aetate didicissent, quae scientiae nondum capax esset, ex institutione illa puerili praeiudicatae quaedam opiniones et crassi interdum errores multorum animis, quippe recentibus insiti, tam pertinaciter haerebant, ut erui postea nulla arte possent. Sed patrum nostrorum memoria magna impedimentorum pars removeri coepta, et hodie omnibus ad scientiam antiquitatis via patefacta est multorum virtute, quos partim etiam nunc superstites amamus et magni facimus, partim vita functos veneramur et pia memoria prosequimur, quorum inter primores ille est, quem fovisse et clementer protexisse huius civitatis et Regis nostri non extrema laus est, *F. A. Wolfius*, cuius viri disciplina intelligi potuit, quam salutaris graecarum et latinarum litterarum scienter traditarum vis ad reliquas omnes et ad ipsam humanitatem esset.

Hoc igitur beneficium illius et aliorum merito partum quisque doctrinae studiosus ad se quoque pertinere ratus id agat, ut, quam fundamentis in schola impigro labore iactis instruxerit linguarum et rerum antiquarum scientiam, eius formam ubique in suis litteris tractandis exprimat et repraesentet, memoriam pariter atque iudicium intendendo, parvis et magnis suum cuique pretium statuendo, nul-

lam partem contemnendo, nullam instar totius aestimando, omnes denique ad unum, quod cunctis veritatem impertiat, referendo. Eos autem, qui propriis sedibus potitas litteras antiquas unice colere et philologiae vitam impendere constituerunt, omnibus viribus conniti decet, ut crimina in haec studia coniecta redarguant, et recte illis administratis nihil ad hominem perficiendum efficacius esse suo exemplo demonstrent. Qua in contentione honestissima si quando deficient animo et magnitudine scientiae terreantur, mirifice auctos sese et incitados sentient, ubi non sua tantum, sed multorum gratia contendere se reputaverint. Eorum enim scientiae erudiendi et educandi committentur, qui nunc futurae generationis spem sustinent. Rem igitur suam agentes et sibi et patriae prospicient et generis humani salutem, quantum scientia fieri potest, conservabunt. Valete. Vratislaviae, Id. Sept. MDCCCXXVIII.

## FRANCISCI VOLKMARI FRITZSCHE

ORATIO, QUA, QUEM IN LOCUM GRAECARUM  
ROMANARUMQUE LITERARUM STUDIUM SAE-  
CULO XIX. PERVENERIT, OSTENDITUR. \*)

Quodsi nemo paullo doctior adeo omnis est humanitatis expers, quin se ab antiquarum literarum studio nullo tempore abhorruisse libenter profiteatur, capio

\*) Habita in acad. Rostocklensi a. 1830 et edita eod. a. ibidem.

nunc summam voluptatem, quod mens mea in eo argumento tota versari debet, ut optimarum artium disciplinam vel verbis extollam, vel re declarem: quibus quidem et ipse iam ab adolescentia penitus atque toto animo deditus fui, et Vos mirum in modum retineri iisdem delectarique sentio: etsi non incitato cursu, quasi torrens, feretur oratio mea, sed lenissimo sono contenta, tanquam aqua profluens, placide labetur. Intellego, multas ex illo genere et magnas res quamvis copiose explicari posse: sed mihi hodie prope meo iure sumsi unam quandam rationem, accommodatam nostro tempori et personae meae, Vobis, quemadmodum spero, haud ingratam, atque illud quaerere statui, quem in locum graecarum romanarumque literarum studium hoc saeculo pervenerit. Et quum duae ad inveniendum viae pateant, altera, ut in rara horum temporum felicitate et singulari hominum virtute praedicanda conquiescam, altera, ut cum amplissima laude vituperationem, si qua iusta videbitur, coniungam: (nam ut simpliciter ad unum omnia reprehendam, fieri, nisi nefario scelere, non potest) certum est, hoc sequi, si minus consequi potuero, quod quantum gratiae et splendori orationis, quem nunquam magnopere appetivi, detrahet, tantum profecto addet fidei libertatique meae, quam ut conservarem, semper curae habui. Sed consideranti mihi incredibiles, qui hac aetate facti sunt, nostrarum literarum progressus crebro in mentem venit mirari istorum socordem negligentiam, qui ita disputant, hominum genus olim quidem cum fortitudine parem consilii vim adaequasse, at nunc debilitatis corporis viribus et robore animi tantum non extincto senescere idem neque iam ab occasu procul abesse. Ac tametsi semper mihi suasi, cum hominibus divina providentia mentem datam esse,

non ut otio languidi, ingenii acie sensim obtusa ad humum affigerentur, sed ut coelum suspicerent, sed ut relictâ explendo, interrupta contexendo, multa denique agendo illud nescio quid praeclarum, quod in animis nostris insculptum est, exprimerent: tamen hodierno die, AA., nondum nos degenerasse a virtute maiorum, nondum nos temporum vitio depravatos esse et plane corruptos, nondum (ut isti aiunt) rationem humanam in luto demersam iacere, uno eoque illustri exemplo ostendam.

Virorum, qui iustos se philologos censi volunt, doctorum munus duabus absolvitur partibus, interpretatione veterum scriptorum et diiudicatione: quarum utraque communi nititur fundamento, mente. Videtisne, me necopinantem in ipso principio dicendi ad praecipuum quoddam nostrae aetatis ornamentum, quod ne laudari quidem satis pro dignitate potest, nescio quo pacto delapsum esse? Nam prisci quidem aevi interpretes alios adulterina sinceris miscendo omnia potius confundere videres, quam quidquam industria quaesitum ad rationem, tanquam ad obrussam, exigere, alios et eos facile tum principes, quorum vestigia praecurrimus, non subsequuti sumus, naturae magis habitu casuque nonnunquam, quam certo consilio rerum causas investigare. Nostra demum memoria, philosophiae luce latius diffusa non modo in magnis verum anquirere, sed etiam in parvis recta sapere ita coepimus, nihil ut iam turpius vetusta repetenti existimetur, quam pervagatum illud: *Verum est, quia absurdum: factum est, quia fieri non potest* aut verbo usurpare, aut comprobare factis, postremo, quod cognoveris, id quale sit, ignorare. Dum hoc palladium divina virgula nobis suppeditatum retinebimus, literae nostrae salvae erunt, mihi credite,

et florebut, simulatque illud amiserimus, lababunt et corruent. At si quis est Vestrum, qui hoc tanto naturae instrumento et artis nonnullos licenter abuti arbitretur, eos maxime, qui veteres scriptores vix leviter attigerunt, ad suum iudicium velim adscribat meum. Sunt enim omnino atque omni tempore fuerunt, qui, credo, ut in summis philosophis haberi possint, quum omnia fere suis argutiis persequi conentur, tum ea serio quaerant, quae nunquam invenire possint, homines aliorum opinione festivi, sua valde sapientes, qui modo vana admirantes, modo veriloquia ridicule captantes, modo originem linguarum vel proxima origini replicantes paene rustice urgeant, nonnunquam, ubi suam sedulitatem inique contemni viderint, etiam indignentur. Malo equidem in grege ultimus, si videbitur, annumerari, quam cum istis philosophari: Vos autem, ne malis exemplis adducti culpam paucorum in universae rei, tam certae, tam salutaris, tam splendidae invidiam crimenque detorqueatis, etiam atque etiam providete. Sed ut scriptores vetusti recte explicentur, primo tum verbi uniuscuiusque, tum argumenti continui diligenter ratio reddenda est: in quibus enucleandis, nisi qui linguas illas probe perspectas habuerit, operae pretium facere nullo modo poterit. Nam quum in omnibus populis literae, mores, instituta, postremo intimi sensus sermone eorum, ut qui menti humanae tanquam imago resonet, optime delectantur: tum Romanorum linguam, quae paucis concedit, et Graecorum, quae reliquis omnibus praestat, vel per se cognitione dignissimam esse apparet: quorum sententiae ut sint gravitate dispaes et alius alio laudetur impensius, at orationis genere, quo magna eorum pars usi sunt propemodum perfecto, omnem aliis consequendi sui spem

abstulerunt. Multis modis rationem, quam a natura inchoatam accepimus, perpoliri atque absolvi posse verum est: sed certe nullo melius potest, nisi eo, qui ad omnes animi nostri partes excitandas aequaliter valet, hoc est renovatione usurpationeque veterum linguarum. Neque enim hanc arcem puncto temporis nullove negotio muniri licet, ne quis fallatur, neque ipsae illae literae aut remisso animo disci volunt, aut levi bracchio tractari: verum opus est primum studio singulari, ut hae opes in memoria, quasi quodam optimarum rerum thesauro reponantur, deinde diligentissima animi adversione, ut singula, suo quodque loco, cogitanti statim occurrant, tum ingenio acuto, ut similitudines comparando, quid verum falsumque sit, sensu ipso percipiatur, denique, quod maxime rem continet, acri iudicio, ut alia, quae difficiles explicatus habent, dilucide exponantur, alia genere confusa mente accurate distinguantur. Tot tantaeque facultates puerum, qui in illum ludum se contulerit, ad cogitandum exacuunt, iuvenem, qui industria non nihil profecerit, assiduitate alunt, virum, qui e diuturno studio scientiam professus sit, ornant atque illustrent, senem, qui iam defunctus labore otium quaerit cum delectatione honestum, neque cito hebescere, neque satiari temporum fastidio patiuntur. Quoniam quantum momentum ad cognoscendos scriptores explicatio diligens haberet, paucis exposui, nunc quid nostra aetas arti illi attulerit incrementi, animis, quaeso, percipite: tametsi plurima prorsus praeteribo, de reliquis breviter tantummodo undamquodque percurram. Et illud quidem perspicuum est, explicatorem, qui in campo tam incerto tamque lubrico libere vagetur, nisi universum hoc genus studiorum ad praecepta revocatum fuerit, facile commissurum esse,

ut vel a via aberret, vel sine aliqua prolapsione ingredi nequeat. Quod nuper admodum nobis contigit, ut singulas explicationis partes, quae certis causis inter se aptae et quadam necessitate connexae sunt, tandem aliquando ad plenam artis formam reductas videremus. Etenim ante id tempus lex interpretandi et tanquam meditata ratio nulla erat, sed pro se quisque, quantum fere ex usu mediocri redundare, aut summum prudenti observatione comparari videretur, conari magis solebat, quam efficere: ut facile intelligi possit, in quas salebras doctrina nunc in tenebris graviter offendens, nunc sine certo duce male haerens saepenumero inciderit. Hoc uno errore correcto non solum reliqua in melius mutata sunt, sed etiam manifesto deprehendimus, veterum scriptorum interpretationem non tam foris aut ex abditis fontibus assumendam esse, quam ex ipsis potius hauriendam: quod olim sive ignoratum, sive omissum dici vix potest, quanta rei grammaticae detrimenta importaverit. Summus atque singularis vir fuit *T. Hemsterhusius*: quis negat? veruntamen is Lucianum illo saltem tempore, quo maxime debebat, quum eum luculentis commentariis auctum ederet, parum noverat. Idem postea ad Scholia Pluti Aristophanii dilucidanda copiosam doctrinam subactumque ingenium attulit, praeterea nihil: quum in Aristophane quidem operam praeter caetera exiniam minime collocasset. Omnino quod prisci illi philologi, quos appellemus sane heroas (nihil enim repugno) Homerum cum Theodoretō, cum Augustino Episcopum multiplici locorum serie coniunxerunt, id quingmodi est, ut eruditionem, qua nescio an huius aetatis parem habeant neminem, admirari debent iudicium, quo iidem tamen caetera pollebant, merito requiras. Nam si cuivis homini ut multa



propria, ita sermo quidam, quo se assuefecerit, peculiaris est, interpreti ei potissimum assentior, praesertim expertus, qui ad unum scriptorem mentem traducendam esse ratus in huius se familiaritatem insinuet, atque adeo totis centuriarum planstris paucula testimonia, non, ut illi, numerata, sed tanquam appensa praeponat. Iam, quod multi hodie ne minuta quidem vocabula diu magnifice contempta excutere dubitant, laudi iis imprimis ducendum esse iudico. Parva, inquit, res est. At magna saepe perlevi momento rerum inclinatio. Denique quidnam magnum in literis, quid porro parvum est? Imo nimium saepe, quae praepropera festinatione decepti pro nihilo putavimus, ea difficili quaestioni gravissimum pondus addere sero agnoscimus. Verum enimvero ad eam explicationem, qua verba veterum librorum et res demonstrantur, accedat altera oportet, quae ad ampla illa antiquitatis capita si minus contemplanda, at certe perscrutanda transfertur: illa artis grammaticae terminis, angustis sane, circumscribitur, haec totum vetustatis orbem, latissimum illum regione vique sua definit. Quare quum non dubium sit, quin duae, quas dixi, disciplinae tum ambitu facile inter se discernantur, tum notione prorsus seiunctae sint, tamen, si res et usus spectatur, divelli a se nisi pernicioso errore non possunt, tamque arcte cohaerent, ut is demum philologus, qui utrumque genus animo complecti audeat, omnibus suis numeris expletus esse videatur.

Nam quod philologia nunc aliarum literarum, in his theologiae, cui olim tanquam ancillula quaedam turpiter serviebat, excusso iugo in libertatem vindicata est, iure illud quidem laetandum mihi esse existimo, idque ipsum eximium huiusce aetatis decus atque ornamentum mihi videri profiteor. Quo etiam magis

cavendum est, ne illa bonae mentis patrona, cui iam multi nos fidemque nostram unice addiximus, per importunam nonnullorum audaciam, quae grassari impune coepit, ulla sui parte imminuatur. Neque enim dissimulare debeo, inveniri posse syllabarum aucupes, sed eos tamen numero perpaucos, qui nihil aliud, quam de particularum potestate, re non magis utilissima, quam, si quaeris, tenuissima loquantur, alius vocolae trium quatuorve literarum deliberatione crucientur, de orthographia, quid, quod de apice et puncto strenue disputent, si hoc est disputare, cramben repetitam secunda mensa apponere. Neque ii tamen aequo animo ferri minutam suam diligentiam volunt, sed plane ipsi regnare, alios autem, qui in illo palmari loco non omne tempus consumunt, vix prae se homines esse arbitrantur. Non iam miror, quod queruntur et prae se ferunt quidam, se crebro invitos veterum literarum summo capi taedio: si enim eandem incudem assiduo tundenti manus paullatim torpescit, quid istos putamus, qui, ingenium ut nutriant, diem noctemque tam exili pabulo ac glande vescuntur? Caeteros, qui in proposito adhuc perstiterunt, vel obtestor, ut aliquando e suo gurgustio emergant, vel si in hanc literarum lucem adspectumque se prodituros negant, illud certe admonendi causa quaeram, nunquamne sibi, dum istas muscas configunt, nauseandum sit? semperne una opella et ea valde pusilla occupari decreverint, in quo, quantumvis ipsi effusa laetitia gestiant, tamen risus aliorum pertimescendus sit? satisne magnum laboris fructum tulisse sibi videantur, si in longissima vita aliquot verborum vim paullo melius, quam vulgo fit, a se perceptam esse recordati fuerint? Idcircone (iam enim permoveri me vehementius sentio) idcircone viri praecla-

rissimo ingenio summaque eloquentia mentis suae  
 lumina atque illa fulmina verborum posteritati pro-  
 pagarunt, ut, quid illis monumentis extenuandis at-  
 que adeo comminuendis efficere posset, ardelionum  
 sedulitas experiretur? Imo vero alia sunt spatia, in  
 quibus vel excurrere nos deceat, vel diutissime ver-  
 sari, quoniam haud raro, quum ad calcem modo per-  
 venisse videamur, ad carceres, unde emissi sumus,  
 nosmet ipsi revocamus, illa dico immensa et infinita  
 spatia, fabularum de diis complexionem, historiarum  
 et terrarum cognitionem, singularum civitatum ra-  
 tiones, artium notitiam, physices atque philosophiae  
 conditionem pristinam, omnes denique cum abaco  
 et pulvisculo locos antiquitatis. Verum, ut sunt  
 saepe recti pravique fallacissima confinia, haud  
 pauci iam, plures certe, quam vellem, aditum nobis  
 ad haec studia ita patefacere incipiunt, ut gramma-  
 ticam, nullo scilicet in numero illam habendam, ma-  
 gnopere contemnant. Qui quod pueriles errores  
 temere effutiunt, ne unum quidem scriptorem rite  
 exploratum habent, aut legerunt omnino, quod pau-  
 cissima, adde etiam minima quaeque ex tanta copia  
 decerpunt, e fontibus summorum virorum omnia in  
 suos rivulos derivant, id est mutando deteriora red-  
 dunt, quod insolenter se iactare solent, stultitiae  
 arrogantia, perpetua comes, adiuncta est. Com-  
 plectar brevi, ne ingeniis vestris videar diffidere,  
 et simpliciter defendam, fieri non posse, quin ido-  
 neum linguarum usum sibi quisque tum principio ac-  
 quirat, tum omni vita retineat. Nam doctrinae il-  
 lae omnes fere aut ex ipsis scriptoribus hauriuntur,  
 quos nisi intelligere possis, ullam ab iis lucem mu-  
 tuari dementiae est, aut e grammaticis foede corru-  
 ptis, quibus ut prudenter utare, critica facultate

opus est. Quapropter adolescentes primum grammaticis praeceptis imbuere et praeparari iubeo: unde si post aliquanto deducti fuerint, reliqua paene nullo negotio perdiscent: quod eo evenit, quia illi nugarum venatores scriptoribus antiquis torquentur, tanquam peregrinis, nos oblectamur iis, prope ut domesticis.

Nec vero, si complures ad intolerandas ineptias abierunt, ideo aliorum consilium, quorum a levitate mens et ratio plurimum distat, non magna in laude ponendum est. Ex quibus unus omnium doctissimus et in eo genere facile princeps, *A. Boeckhius*, vir eruditione et ingenio florentissimus, quem honoris causa nomino, quum studia veteris memoriae aliquamdiu neglecta ac paene deserta forti animo renovasset, mox in his artibus ita excelluit, ut eum non sequi, sed praegredi, non audivisse, sed vidisse, non opinari, sed scire apparet. Praeterquam enim quod in literis exercitatio ipsa et ille iucunditatis fructus, vel nullo admodum lucro praeterea proposito, magni aestimandus est, multae antiquitatis partes absconditae adhuc latuerant, et certe per se excelsius quiddam est atque magnificentius, ius civile Atheniensium pertractare, quam atticam vocem a vulgari distinguere. Accedit, quod ad scriptores vetustos, qui ex hac potissimum parte etiam nunc graviter laborant, penitus perspicientes nihil maiorem vim habet studio antiquitatis. Quod novissime, quamvis e sensu meo omni tempore sic statuissem, etiam coram testatus sum, quum de Graecorum Romanorumque re scenica non sine magno eorum favore, qui audiebant, accuratissime, quoad facultas tulit, exponerem. Sed viciissim tunc mihi, quo plura indies a nemine dum recte tradita in veritatis lucem proferebam, eo

mihi planius constitit, vetustatem niti omnem, tanquam stirpibus suis, sic linguarum cognitione. Neque enim ianuae adopertae nescio quae mihi uni patebant; Bulengero, Grodeckio, Genellio, caeteris ordinis eiusdem clausae erant: verum ego, *Gl. Hermann*i saluberrima institutione conformatus, fundamenta ieceram aliquanto, quam illi, firmiora, quid esset interpretari scriptorem aut criticam artem facitäre, tenebam, in Aristophane, Plauto atque Terentio, a quibus tum proficisci haud dubie debebam, iam antea mediocriter versatus eram. Reliquum est, ut de altera suscepti operis parte, quae in diiudicatione consistit, ut in quodam tristi et horrido genere, comiter aut quam minime duriter dicendum esse videatur: quanquam primus in has rixas introitus nonnullam habebit, querelam. Accidit enim, ut alii, qui scilicet iudices constituti sunt, tantum criticos agerent et meram criticam loquerentur, alii iique, ut mihi videntur, modestiores interpretatione se ita contentos esse cuperent, ut melius negarent quaerendum esse. Et hi quidem, ut sibi ignoscatur, a nobis petunt, illi vacationem plane extorquent; hi fere arguta loquacitate paullo molestiores sunt, quod tamen vitium propius ad laudem accedit, praesertim cum nostra quadam voluptate coniunctum, illi ne hiscunt quidem aut mutiunt, sed ipsa taciturnitate ac stomacho sibi placent, caeteris valde odiosi sunt; postremo his caetera quoque utimur propemodum melioribus, quoniam, etsi titubant plerumque et facile a librariis supplantati evertantur, ab aliquando tamen in grammatica scientia atque suis in vestigiis stant pulcherrime, illi autem quid tandem habent, ubi consistent? quas non potius ruinas faciant? ut levi labefa-

ctati impulsu prosternuntur! ut vel in suo artificio iacent! ut nituntur modo ac statim concidunt!

Nempe utrorumque error e praepostera quadam libros scribendi aviditate, tanquam e communi fonte, profluxit: quod malum latius opinione disseminatum gliscit quodammodo et obscure serpens dimanant. Etenim multi, in his primus quisque, parum saepe praeparato otio plures libellos perexiguo tempore edunt, omnes iam, si modo chartas chartis cumularint, magnificos se atque praeclaros sperant futuros, quin etiam certi homines plus librorum paucis annis confecerunt, quam plerique omni tempore viderunt. Hunc impetum tam incredibilem, tam bonis literis pestiferum, si censorum severitas paullo magis coërceret, nescio, quid alii sentiant, ego gauderem. Sed cupidos, quos dixi, explicatores non est, quod quisquam gravius obiurget: sunt enim tam bene morati, ut facillime ad meliorem frugem reduci possint: ac satis est, ut opinor, ad aurem iis familiariter insusurrare illud Flacci: *deleri licere, quod non edideris; missam vocem reverti nescire*. At enim vero perdit i isti critices sive alumni sive amores quum se brevissimos putant esse, superfluunt, quum tacent, ita palam loquuntur: Ego, quid accepturus sim, scio, quid dicam, nescio: tantum video, me vel nihil agendo quasi aliquem pigrum, sed nummarium opificem in vulgi sermone iactari posse. Utinam illi quidem non se potius, quam, ut hoc utar, *Ch. A. Lobeckium* imitarentur, qui vir, si e librorum multitudine omnia aestimare placet, quos longo tempore tres aliquos aut quatuor scripsit omnino, infimorum in numero reponatur necesse est: sin vero ingenii acumen et illas doctrinae copias spectave-

ris, quibus literas vel indotatas locupletavit, vel restituit prope intermortuas, profecto par summis existimandus est. Neque enim quidquam aut tam parvum reperiri potest, quod *Lobeckius* non legerit, aut tam rarum, quod non aliorum auctoritate illustret, aut tam reconditum, ad quod non penetrarit. Quamobrem mirari desinamus, quid sit, quod vir unus omnium facile doctissimus ad tantum honorem et ad immensas illas priscae eruditionis copias plurimorum iudicio pervenerit.

Criticam aliam superiorem appellamus, de qua deinceps erit dicendi locus, inferiorem aliam, nominibus non satis aptis, quantum ego existimare possum, usitatis tamen. Haec enim ars, quae scripturae mendis erroribusque librariorum tollendis continetur, non paullum aliquid operae desiderat, sed tanta tamque ardua est, ut ex ingenti eorum caterva, qui post renatas literas etiam huic se studio dede-  
runt, oppido pauci saneque numerabiles inveniantur, excellentissimo ingenio viri, qui magnam laudem adipisci potuerint. Requiretur fortasse causa tam insolitae difficultatis: sic cognoscite, AA. Magnum est, scriptoris voluntatem interpretari in iis, quae vere prodita sunt, nec nisi multis antea apertis quidquam, quod obscurum sit, assequi licet: quanto maius illud censetis, quae vitium ex ultima saepe vetustate repetitum fecerunt, ea non solum notare, verum etiam, si quae maxime scias depravata esse, eadem sic, uti auctorem fide dignum fas est, corrigere? Nam levissimas quasque cicatrices, quae celeriores ingenii motum nullum postulant, iam ab iis, qui decesserunt, plerasque obductas curatasque accepimus: nobis difficillimi morbi, nobis ea, quae intra cutem subsunt ulcera,

nobis vulnera ab omnibus desperata ac saepius mortifera ad sanandum relictæ sunt. Quocirca primum amplissimas doctrinae copias et cognitionem quum universae antiquitatis, tum singulorum scriptorum mihi aliquis afferat: quibus rebus si abundabit, neque idem tamen divinam iudicandi facultatem naturae dono nactus erit, quin in mediocribus hominibus habeatur, non recuso, ad magni quidem critici gloriam adspirare nullo pacto poterit. Adeo quod clamant imperiti, longe saepius a philologis integra corrumpi, quam emendari vitiosa, et prorsus ab iis sanæ parti tanquam a malis medicis scalpellum adhiberi, (etsi hæc fabula crebro nec fere ex vero decantata iam prope obsolevit) tamen id nostris temporibus cum specie, inani scilicet, sed specie tamen reprehendi videatur. Hanc tantam caliginem duæ res partim discutiunt et reducunt diem, una, quod non, ut olim consueverant, iustae rationis interim ignari in agendo demum discimus, sed palaeographiae atque aliarum rerum scientia instructi tirocinium ponimus ac deinde parati ad summam artis meditativæ venimus, altera, quod codicum auctoritatem sequi possumus, mentis quodammodo vicariam, quo vel subtilissimis hominibus iudicium plerumque dirigendum est. Ceterum etiamsi ad horum librorum opem semper confugere liceret, quod longe secus est, certe multum tunc quoque providere animo deberemus, propterea quod alii codices summum pondus habent, alii vix ullum, quod vetusti, qui haud raro mendosissime scripti videntur, a novitiis, qui audaciter interpolati nitere solent, distinguendi sunt, quodque, quo vinculo singuli inter se contineantur, quoque separentur discrimine, indagare convenit, denique



quod eos examinare magis oportet, quam dinumerare. Quo in genere si multos hac aetate per-diligenter elaborasse negem, mentiar.

Verum aliud quid, in quo maiores non illi quidem plane defecerant, sed tamen relaxarant animum atque remiserant, nobis restabat, ut, quoniam summa lectionum inopia premebamur, plurimi autem codices in variis terrarum, Italiae potissimum, bibliothecis situ obsiti iacebant, vel putrescebant tinearum epulae atque blattarum, exoriretur, qui gravissimam hanc partem vixdum segniter inchoatam absolveret. Hic tum *L. Bekkerus*, (nam quum aliorum magna in hoc genere exstiterunt merita, tam summa *Bekkeri*) vir incredibili diligentia, peracuto ingenio, summa graecae linguae scientia, quum codices vel nondum a quoquam comparatos vel aliquando oscitanter inspectos adiisset, multosque, vere loquar, excussisset, perfecit, ut aliquamulti scriptores, qui antea ob turpissimorum mendorum multitudinem sine magna molestia legi non poterant, ii iam sui multo similiore redditi facillime intelligantur, utique, quorum propter inauditam asperitatem minime cohaerebat oratio, iis iam nihil fieri possit rotundius. Audio equidem, *Bekkerum* non modo nuper in latinorum scriptorum emendationem omni cogitatione incubuisse, sed etiam amplissimos quosdam commentarios cum maxime animo designatos habere: quorum altero obtrectatoribus suis cumulate satisfaciet, altero suam dignitatem ita tuebitur, ut, quod ad tantas laudes addi possit, nihil fere relictum esse videatur. At enim tantum abest, ut omnia Graecorum Romanorumque opera aetatem tulerint, ut minima eorum pars, quasi e foedis-

simo naufragio erepta ac satis feliciter, ut post tam longi temporis barbariem, conservata ad nos pervenerit. Quae quidem damna si nobis omni ope resarcienda sunt, quis non illorum summopere laudet industriam, qui fragmenta plurimorum librorum, qui perierunt, variis in locis dissipata colligere atque disiecta diligenter componere coeperunt? quum praesertim viderit, a nonnullis, qui iidem acerrimam mentem attulissent, reliquias aliquot sic compensatas esse et refectas, ut, quae modo emortua nullaue omnino visa essent, ea mox in vitam revocata agnoscerentur. Est haec excellens quaedam reconcinnandi, quod iam diu ceperimus, detrimenti sollertia: quid iam illud, quod viri egregii praestantissimos libros, qui interiisse falso existimati erant, e codicum palimpsestorum integumentis alios his proximis annis feliciter eruerunt, de aliis generis eiusdem recte nos sperare iidem iusserunt, quanto id tandem in beneficio positum putare debemus? Ac tametsi complures in illo curriculo vires suas exercuerunt, quum quisque novos illos Veteres quasi per caliginem adspicere cuperet, caeterorum tamen splendorem summa oculorum pariter atque ingenii acie praestrinxit *A. Maius*, vir merito suo clarissimus, iisque tantum praestitit, ut eius virtuti nulla possit par oratio inveniri. Denique statuarum aliorumque monumentorum inscriptiones quum omnes hodie admodum curiose quaerantur, quaesitae cum fide et quadam religione describantur, tum nuper graecae a *Boeckhio* breviter comprehensae cum magno literarum emolumento edi coeptae sunt. Haud diffiteor tamen, eiusmodi particulas, quarum partim antiquae sunt, partim

recentes aut temere confictae, ex se, non ex alienis subsidiis metiendas esse, neque quemlibet multum commodi ex iis posse, si maxime velit, percipere: adeo interdum mendosae, saepissime lacerae, plerumque obscurae sunt: ad quas tum explicandas tum corrigendas si quem philologorum valere intellexeritis, hunc iam omnibus partibus absolutum, hunc plane criticum putatote.

Quam vellem hoc in loco diutius mihi commorari liceret, vel quod rei criticae multos iam annos vel in primis operam impendi, vel quia in ea arte plurimum hoc tempore profectum est; sed ad illud, quod in quaestione nostra residui esse video, velis remis, ut aiunt, atque omni festinatione properandum est. Quemadmodum enim haec critice scribarum errores funditus exstirpare studet, sic altera, quam superiorem dicunt, scriptorum tum vitia tum virtutes diligentissime persequitur: quam rationem, ex illo ingente campo in angustum compulsam, non ideo tamen aut leviter gustare, aut inepte adspernari debemus. Comparete nunc prosperitatem nostram cum pristina miseria, et quem vobis animum suscipiendum putetis, videte. Etenim antea quidem suspiciebant antiquos scriptores, pie venerabantur, sancte colebant: denique sacro horrore perfusi supplicabant. Quaereret ab iis, quid ita graecos libros atque romanos tantopere admirarentur? id vero negarent se scire, aut omnino sedulitatem istam tam malam ad se pertinere. E quibus pauci quidam, viri alioquin primarii, ut aliquam tamen praecipuam sibi prudentiam assumerent, in tragicis poetis sonitum et grandia verba, venustatem et facetias in comicis a se animadverti crebro testabantur, in

Horatio autem, quod eos facere ipse vetuerat poëta, *Pulchre! bene! recte!* toties pleni laetitiae exclamaverant, ut eos vocem obtudisse constaret. Quid nostri? Plane id nunc contra est. Non iam dubitamus, quin admiratio nisi cognitae rei pleneque perspectae vana omnis sit atque irridenda, sed principio hoc totum, quid sit, definitione explicamus, mentem a sensibus sevocamus, rationes concludimus, integre iudicamus. Ut si quis (quemadmodum de Socrate accepimus). Euripidem unum omnibus poëtis anteponat, non modo aequalium iudicum exemplo, qui illum eximio praemio rarissime decorarunt, facile refutari possit, sed etiam nescire se de ingeniis poëtarum sententiam ferre, perspicue ostendat. At nimum nonnulli de veterum scriptorum auctoritate detrahunt. Vero: et quidem propono mihi istos, qui: *frigidum Platonem*, inquiunt, *rugatorem Demosthenem*, *loquacem Tullium*, nempe ut, quantum illis viris derogatum sit, tantum sibi a vulgo assignetur. Veruntamen illae partes philologis cum bellis hominibus, qui de his rebus multo uberius et, quod paene omiseram, pulchrius disserere solent, forsitan communicandae sint, haec nostra propria, in qua regnemus, possessio est, primum classicos scriptores ab infima plebe diligenter secernere, tum vero, quid auctores habeat incorruptos, quid rursus clandestina fraude suppositum sit, subtiliter exquirere, quorum neutrum sine multis literis et difficilibus et necessariis fieri unquam potest. Philopatrin, ut unum exemplum afferam plurimorum loco, tandem a viris doctis intellectum est, non Luciano attribui posse, sed monacho, neque tertio post Christum

natum saeculo, sed circiter duodecimo: etiamne igitur istum laudibus efferre et mactare honoribus olim debuerant, tam, mitto indoctum, sed petulantem tamque absurdum? Neque enim, id quod Vos minime fugit, AA., quae Homero tribuuntur, omnia sunt Homeri, nec, quae Virgilio, Virgili omnia: satis multae ex hoc genere et sententiarum controversiae, et opinionum dissensiones iam diu inter viros doctos agitatae nullo tempore componi poterunt: summae cuiusdam sagacitatis est, quid casus inserit, error affinxerit, dolus inculcarit, veritas ipsa praescripserit, aliquando constituere. Tot igitur officiis fungi videtis philologum: quae equidem, vel ut quisque uno tempore obeat, vel ut cuncta impleat, haud sane postulo, (quotusquisque est enim, qui in his artibus tam longe lateque diffusis pariter excellat?) quin potius facile patior, tanquam in spatiosis quibusdam aedibus exstruendis, sic in condenda veterum literarum disciplina multam prorsus varietatem versari. Alii nostrum materiam et calcem comportant, ii, qui locos omnis generis quam plurimos undique colligunt atque arcessunt; alii, qui novos perpetuo libros ministrant, partim barbales se et operarios ingenue profitentur, partim tenuissimos, qui caementa demittant, famulos sibi adiungunt, ipsi se redemptores operis simulant, tamque feroces sunt, vix ut iam ferri possint; alii verba et res ita interpretantur, ut grammaticam substruant, fundamenta agant praecleara, non in aqua ponant, id est in omnium rerum ignorantia, plurima moliantur, quis sit vectis usus aut ferramenti exploratum habeant, optimi denique fabri tignarii iudicentur; alii in magnorum virorum parietinis singularem exstruunt, pauperes

aediculam, pauci iique plane architecti altissima palatia opere magnifico, unde omnem veterum populorum vitam, tanquam ex aliqua specula, respiciant atque observent; alii ea se lege natos ferunt, ut librariis pestem machinentur, industrii, ut mihi videntur, tectores, qui modo bellum criticae tectorium inducunt, modo vetus delinunt, modo columnas dealbant, plerumque duas de eadem fidelia; alii otiosi quidam domiciliorum spectatores sunt, quos iuvat alterius critices adumbrata imago, de reliquis nihil concoquunt, sunt enim paullo infirmiores, atque ii tamen nos ut operas mercenarias et multitudinem conductam (nam sic loquuntur) longe infra se positos esse confirmant: praefectus fabrū unus alterve est, quem nihil latere solet, qui omnia circumspicit quaeritque, satin' firmum tectum sit, ecquid in parietibus sit vitii, serviatne domus an male materiata sit, ac postremo aut probat aedificium, aut, si pestilens fuerit, si ruinosum, totum disturbat. Hos, quantum in me est, caritate omnes complector, ne eos quidem, qui minimo venales pretio coctum laterem ducunt, modo ne lavent, reprehendere possum; sed sic decerno, sic sentio, quo quisque plura totius doctrinae praecepta non ille quidem perlustrarit, quod ignavae vanitatis est, sed ceperit, coniunxerit, sustinuerit, eo magis illum sociis laborum suorum tum virtute tum gloria antecellere, quo minore autem spatio cogitationes suas terminaverit, eo magis illum a perfecta sui generis forma, quam mente videt, deflectere.

Venio nunc ad metricam doctrinam, quoniam is locus non de industria potius ad hoc tempus a me dilatus, quam forte ad extremum re-

servatus est. Ego enim sic intelligo, AA., nonnullam facultatem metrorum et copiam in multarum gentium poëtis animadverti posse, nec solum Romanis, qui nulla aemulandi spe imitatione auctores suos consèctabantur, ut Horatius Alcaeum Sapphoque, Menandrum Terentius, verum etiam Germanis, qui propter insitum quendam libertatis amorem ab aliis toti pendere non sane solemus; artem quum praeceptis firme stabilitam, tum exemplis magnifice ornatam in unis Graecis exstitisse, cum quorum dignitate ne illum quidem, quo unice delector, *F. Schillerum*, nostratē poëtā, aut ullum de reliquis comparare audeo. Quo magis laetamur, gravissimae artis mysteria, quam multi paene obstupefacti admirati erant, intellexerat nemo, primum indagare studuisse successu haud improspere *R. Bentleium*, virum omni laude cumulatū; nuper admodum aperuisse atque enuntiavisse eum, cui primas recte deferimus fascesque submittimus, ego etiam praeceptorem gratissimo animo et integerrimo amore prosequor, *G. Hermannum*. Sic enim se res habet, AA.: quanquam multa hic mihi necessario praetermittenda sunt, sed tantum dicam, omnes veterum literarum laudes, quae quidem ad nostram aetatem proprie referuntur (esse autem plurimas, quis, quaeso, est, qui neget?) aut solius *Hermanni* summo ingenio, doctrina, labore nobis partas esse, aut ab aliis, si qui aliquando in eiusdem gloriae societatem venerint, ut *W. Reizius*, ut *F. A. Wolfius*, certe tamen cum illo participari debere. Ille, quem nemo Vestrum ignorat, ille, cuius quanta amplitudo sit, nuperrime ex hoc ipso loco audivistis, ille, inquam, nostrorum temporum heros metricam doctrinam, cuius pertenuē

quoddam initium acceperat, posteris tradidit plane perpolitam et iam ex parte profligatam, multos grammaticae locos vel ante se neglectos novis opibus egregie auxit, vel deformatos pulchre restituit, de plurimis scriptoribus, sed maxime poëtis immortaliter meritus est, vim potestatemque explanationis demonstravit, rei criticae certos fines constituit, eos esse criticos ostendit, qui iudicare scient, non qui nescirent, eos interpretes, qui tenebras dispellere possent, non qui novas obducerent, postremo philologos e quodam longo somno et quasi veterno excitatos mentis oculis cernere acutius docuit, literis autem nostris, quibus iam sempiterna nox videbatur offusa esse, solem reddidit. Ac si *Hermannus* ipse literam scripsisset nullam, tamen vel per eximios illos viros, qui discipuli eum ornant, ac vicissim a magistro ornantur, apud omnes, qui nulla occaecati cupiditate sapere student, summam iniisset gratiam. Alii in academiis bonas literas ita profitentur, ut *Hermanni* exemplum sequuti novam disciplinam instituant et amplam, quae sibi evenit, provinciam cum insigni laude administrent, non me dico, hominem novum, sed nimirum *Lobeckios*, *Seidleros*, *Passowios*, *Naekios*, totque alios, viros spectatos ac cognitos: quorum nonnulli si praematura morte oppressi literis iam erepti sunt, ut olim *Erfurdtius*, nuper *Reisigius*, at extento aevo vivent, at gloria eorum immortalis est. Alii in scholis tum gravissimam praeceptorum personam magna cum dignitate tuentur, tum veteres linguas docent optime: neque enim, ut antea multi ludorum magistri in graecis quidem prope toti erant alieni, sic hi graece latineque non luculenter ciunt. Qui quamvis crebro lateant, et sit eorum



nomen obscurius vixque interdum appareat, tamen haud scio, an hominum vitae saepissime aliquanto plus prosint, quam Professores: quippe: nos enim in omnium oculis positi sumus atque in ea literarum luce versamur, quae ne tenuissimam quidem operam nostram in occulto esse patiatur: at illorum vel maximae laudes minus fere celebrantur, ac potius tam facile animos praetervolant, ut haud raro nullum fructum praeter illum uberrimum conscientiae e factis suis percipere possint. Ceterum iisdem quantae molestiae devorandae sunt! quam multorum etiam stultitiae atque ineptiae perferendae! tot scilicet tantaeque, ut, nisi eis, qui experiundo cognoverint, non temere fidem faciat oratio: reliqui supra modum omnia adaucta esse, vel prorsus simulari haec fingique arbitrantur. Meministis, ut iam eo, unde huc digressi sumus, revertamur, a viris doctis, qui veterum literarum studio dediti alii alias terras incolebant, de palma diu et omnino varie certatum esse. Tulerant per breve tempus Galli: quiescebamus: longo tempore occuparant Batavi: lente etiamtum nos commovebamus: affectabant et obtinebant quodammodo lacinia Angli: aegre ferebamus, mox fortiter repugnabamus. Nunc *Hermannus* iis, quibus maxime debebatur, Germanis lauream reddidit, atque ita reddidit, AA., ut, si postea unquam perdidimus, culpa sit futura ipsorum.

Restat, ut mos quum per se malus, tum in tanto maximarum laudum splendore turpissimus, ceterum non recens susceptus, sed e priorum temporum memoria retentus, \*) ocius quam tardius deponatur.

---

\*) „Inprimis autem in *Mureto* iterum edendo spectavi id,  
Bibl. script. A. I. I. 6

Nam ut antea plerique graecas literas parvi ducebant, ita nunc haud pauci in contrarium vitium ita incurrunt, ut latinos scriptores ad unum omnes nullo in numero putent habendos esse. Quapropter quum lingua latina eruditorum esse semper existimata sit, isti non scribunt latine, sed tanquam conscribillant, nec loquuntur, sed plane balbutiunt, nec pudenter obmutescunt terramque intuentur, sed in eo ipso triumphant atque exsultant incredibiliter, quod soli pessimarum nugarum, erecti homines, admodum nihil didicerint. Ego vero fateor, me latinis literis quantam maximam possum dare operam, non dissimulo, populum Romanum mihi certe gravissimum et a futili Atheniensium levitate longissime disiunctum videri, etiam illud addo, me et *Eichstaedtii* emendata puraque elegantia, et vi atque illis valentissimis lacertis *Hermanni*, et aequabili *Beckii* lenitate mirifice oblectari. Alii, sed ii tamen paucissimi, iam toti se ad romanæ linguae studium transtulerunt, id quod ob multas causas et graves et perspicuas fieri non magis illo altero potest. Imo vero tam arcto vinculo et quasi cognatione Latii linguae et Graeciae inter se con-

---

quod iam dicam. Multi et hic et alibi produntur libelli e critico genere, quibus adolescentes ingeniosi emendationes et coniecturas in graecos latinosque scriptores exponant. In eorum plerisque eruditionem, acumen et solertiam admiror. Sed iidem partim tam ielune, partim tam inquinata scripti sunt, ut fastidium et nausea legentibus oboriatur. Hos igitur critices studiosos *Mureti* exemplo docere volui, posse emendationes non solum mundo exquisitoque orationis genere explicari, sed etiam in summa tenuitate rerum, aliqua suavitate, quae lectores teneat, condiri; omninoque turpissimum esse iis, qui veterum elegantias aliis enarrent, ipsos uti sermone barbaro et lutulento “ *Ruhnck.* in Praef. ad *Mureti* Opp. T. IV. p. 7.

tinentur, ut cum Graecis Latina semper coniungenda sint, rectissimeque parem se esse in utriusque orationis facultate Tullii exemplo gloriatur philologus.

Ostendi fere, ut potui, quo antiquorum scriptorum studium per haec tempora gradu facto processerit. Sed hoc loco, AA., quaeso vehementer, ne quo me forte partium studio ductum veteribus literis nimium, reliquis omnibus parum favere putetis, quoniam hodierno die de illis tam multa ab me dicta sunt, sed multitudinem verborum ingenii inopiae, alacritatem aetati meae, fervorem huic tempori, si vobis videtur, assignate. Non sum tam stultus, ut praeter graecos latinosque libros nihil unquam audiverim vel viderim, non tam illiberalis, ut omnes literas magno honore prosequi dubitem, non tam vanus, ut ea studia, quorum amore incensus sum, caeteris ullo modo anteponom: scio, ex illis temporibus, adiuvante potissimum christiana religione, in multis disciplinis admirabiles ad omnem excellentiam progressus factos esse. Quod nisi densissima illius, quae media vocatur, aetatis caligo menti humanae offecisset, atque animo superstitione imbuto omnem excolendi sui potestatem ademisset, profecto homines rectum cursum longe constantius tenuisse et ad propositum finem, quo omnes contendere debemus, aliquanto propius accessisse cerneret. Nunc quum celerem virium inter se pugnantium concursum dispar literarum status sequutus esse videatur, quumque magnorum hominum voluntates fortuna magis flecti soleant, quam consilio regi: in aliis quidem multum sane profecimus, veluti in physicis, in quibus veteres illi (si perpaucos exceperis) toties ruunt, ut ioculares eorum errores nostra

tempora comparanti lenem risum exprimant, in aliis vero Graecorum vestigia et partim Romanorum ita persequimur, ut longo intervallo ab iis relictis esse videamur, ut in comica arte: quid enim unquam exstitit simile Aristophani? Verum enim vero quemadmodum scriptorum vetustorum cognitioni et totius antiquitatis hac aetate insignem laudis cumulum scimus allatum esse: sic illa studia, mihi credite, si tamen divinum numen recte interpretor, magis magisque efflorescent, atque posteris, a quibus vetera emendabuntur, nova invenientur, habebunt, quod de sua sorte nascendique felicitate sibi gratulentur.

Atque hac spe, AA., tanto magis confidere licet, si studia humanitatis Regum nostrorum patrocinio et ea, qua par est, fide defenduntur. Nam quum in omni re contemptio aliorum, frigus ipsius, iusto honori, ardens aemulatio instare et comitari soleat, tum ad literas amplificandas ornandasque nemo quisquam plus valet Principe: qui si eo praecipuam quandam diligentiam aliquando contulerit, plerumque horae momento longe maiora perficit, quam quae nobis multos per annos videbantur institui posse.

---

## F. L. VIBE

## ORATIO DE ANTIQUARUM LITTERARUM DISCIPLINA INIUSTE HODIE IN CONTEMPTUM VOCATA \*).

Peropportune accidit, ut ipsa tempora non tam quaerenti obferrent quam invito etiam obtruderent dicendi argumentum, quod et cum mea re arctissimo vinculo copulatum sit, et ita de medio petatum atque adeo ab omni reconditoris molestaeque doctrinae subtilitate remotum, ut nihil popularius, nihil omnium intelligentiae et voluntati accommodatius reperiri mihi posse videatur. Dicam enim nonnulla *de antiquarum litterarum disciplina iniuste hodie in contemptum hominum vocata atque obtrectata*. In quo non ita versabor, universum ut harum litterarum patrocinium suscipiam, quippe quod tam late pateat, nulla ut oratio accurate tractatum et omnibus numeris absolutum capere posse videatur, sed, patefactis, quantum mihi fieri potuerit, huius contemptus gravissimis causis, pauca quaedam adiiciam de huius disciplinae vi et utilitate *nostra in patria nostris temporibus recte aestimanda*. In hoc autem eruditis auribus Vestris si minus satis fecerit oratio mea, id quaeso rei levitati ne attribuat, sed meae infantiae, quippe cui nullam concesserit natura facundiam, nulla dicendi adiumenta, idque tantum memineritis, dicendi munus

---

\*) Habita est a. 1835 ad solemnia academica in memoriam Lutheri concelebranda et edita a. 1836 Christianiae. Ex ea potiora capita excerpta hic ponuntur.

ultro me non appetivisse, sed gravem nulloque modo detrectandam lege ipsa impositam esse necessitatem.

Quemadmodum usu peritus iudex, si quis actionem alicui intenderit, non de reo solum quaestionem habere solet, sed in causas quoque delationis diligenter inquiri, ut, quid in nomine deferendo secutus sit accusator, utrum caeco odio invidiaque impulsus is fuerit, an culpa rei acceptaque iniuria, rite cognoscat; ita mihi quoque, cum antiquitatis studia in dies magis non solum neglecta, contemta, sed obiurgata etiam et conviciis in patria agitata viderem, huius fastidii obtrectationisque veras causas saepe succurrit diligentius investigare. Atque cogitanti mihi et perscrutanti variae in mentem subiere causae, aliae satis in propatulo positae, magis occultae aliae. Ac primum quidem si dicam, hisce studiis non tanta publice proposita esse praemia, quanta ceteris plerisque artibus disciplinisque, si conquerar de scholastici ordinis iniqua in patria conditione, non tam vereor, id ne a re alienum putetis, quam timeo, ne satis tritam cantilenam iterum decantare actaque iam agere yidcar. Neque voluerim hoc loco causam repetere ex artium litterarumque atque adeo totius eruditionis ratione, recentiori tempore egregie illa quidem mutata, non tamen sine detrimento nostrae disciplinae dignitatis, imprimis quod, cum olim omnia antiquitatis quasi fundamentis ita superstructa essent, ut in nulla fere arte, nulla disciplina quisquam, nisi his litteris egregie imbutus, aliquid proficere posse existimaretur, easque ut quisque optime callebat, ita doctissimus esset summaque laude dignissimus, recentiori tempore emersere aliae disciplinae, physicae inprimis, quae, ut antiquitatis imperitis quoque facile patere putabantur, ita, incredibili hominum favore at-

que applausu exceptae, animos multum in modum ad se adliciebant, ab antiquis autem litteris tanquam obsoletis revocabant. Sed, ut dixi, haec accuratius explicare noluerim, non quod ea non per se gravissima putem, sed quod vereor, nimis ne universe dicta haec habeantur, ego autem ea potissimum aperire conabor, quae in nostra praesertim patria nostris temporibus assiduas has et quotidianas, quas videtis, impugnationes et convicia creare existimo.

Atque ut verbo rem conficiam, credo equidem has causas praecipue petendas esse ex mutata reipublicae forma mutatisque inde hominum rationibus conditioneque. Video Vos, AA., ad haec verba mirantes. Quid? libertatem recuperatam tunc dicere audes artibus litterisque inimicam et adversariam? nonne, florente libertate civium, florent etiam litterae, quae, servitute oppressa civitate, raro vigent, imo miseram plerumque et tabescentem vitam tolerant iacent latentque? Audio. Verum, precor, teneatis primum dixisse me non de universis litteris, sed de nostris studiis. Nescio, num fallar, sed dicam, quod sentio. Omnino equidem mihi semper videor deprehendisse, popularem illam reipubl. formam, qualis dici possit nostrae civitatis, ut alias artes disciplinasque mirifice adiuvet, ita aliis minus esse opportunam. Sic vigent in ea inprimis eae artes, quae ad quotidianae vitae utilitatem referri possunt, quae praesentis lucri spem faciunt, non solum agricultura, negotiationes, similes ceterae, sed etiam technologicae disciplinae, mechanicae, physicae; illae autem, quae universam ingenii conformationem, ut nostra studia, vel liberaliorem animi oblectationem vitaeque amoenitatem et elegantiam efficiunt, ut poesis ceteraeque, quas ingenuas et liberaliores dicunt artes, excepta

fortasse eloquentia, non item. Et easdem tamen in aliter institutis civitatibus saepissime mirifice videas florentes. Cuius rei causa haud scio an non tam difficilis sit ad investigandum; ut vere autem dictum mihi videatur, non solum nostra faciunt tempora, sed etiam in antiquitate rem confirmatam mihi videor vidisse. Verum praetermitto equidem hoc loco, in huius rei causas penitus inquirere. In praesenti vero ea tantum dicam, quae a communi intelligentia cognitioneque propius absunt.

Post diurnae, eheu, nimis diurnae servitutis foeditatem vindicata tandem est in libertatem patria nostra. Qua mutatione subitanea atque omnibus ferre insperata, cum gravissimae res a regis solius eiusque administrorum nutu ad populum delatae essent, mutata etiam est conditio hominum, eorumque rationes prorsus conversae. Qui prius e praefectorum magistratuumque auctoritate arbitrioque pendebant, ii subito in libertatem se vindicatos, imo tantam rerum mutationem factam esse intelligebant, ut se potius dominos, munerum autem publicorum administratores multis in rebus sibi obnoxios suique favoris gratiaeque indigentes deprehenderent. In tanta autem rerum mutatione quis miretur, si, qui antea domini fuerant, interdum forsitan severiores et superbiores, ii, fracta auctoritate, in dies magis despiciebantur; qui autem, ex servorum numero vindicati, insperata etiam potentia ornatos se sentiebant, ii, maiore spiritu assumpto, ad odium invidiamque procliviores fiebant? Verum noluerim in universas huius rei causas inquirere, neque diiudicaverim equidem, iustumne sit a principio hoc odium culpaque contractum, an iniustum ac temere conceptum; manifestum certe est nec facile infitiandum, tale odium in publicos reipubl. mi-



nistros, quibuscunque causis ortum, ab hominibus imprudentibus factiosisque, imo ex faece plebis sentinaeque reipubl. exortis nutritum, apud nostrates quasi contagione quadam late serpere, eo molestius, quod nondum ad summum pervenisse, sed in dies gliscere maioraque capere incrementa apertum est. Quod sane magnopere est dolendum, et vix temperare mihi possum, quum ad hunc locum delatam orationem meam videam, quin hanc labem civitatis, qua tetriorem in reliqua reipubl. prosperitate pestem video nullam, mea quoque voce deplem. At nunc non est his locus. In hoc autem communi odio quid mirum, si nostra quoque studia in invidiam vocabantur? Etenim, quales sunt rudium atque agrestium hominum mores et ingenium, in singulos homines vel totum aliquod civium genus si conceperint odium et invidiam, etiam quaecunque eorum sunt propria et peculiaria, in ea coeco quodam odio invehiri amant. Itaque quum saluari lege cautum sit, ne quis ad rempubl. capessendam accederet, neve ampliores magistratus muneraque susciperet, nisi antiquis litteris plene cumulateque eruditum severis examinibus se probasset, nemo autem fere in nostra terra nisi ad publica munera capessenda hisce litteris operam dare videatur, factum est etiam, imo fieri non potuit, quin antiquitatis quoque studia in eiusdem odii contagionem incurrerent. Putabant enim homines, nec sine ratione putabant, quantum de laude harum litterarum detractum fuisset, tantum etiam auctoritatem dignitatemque eruditorum hominum magistratuumque elevatam fore atque imminutam. Hinc hominibus infesti innocentes litteras vituperabant, obtrecebant, conviciis consecrabantur. Omnino autem horum obtrecebantur varia sunt genera. Variis atque adeo diversissimis im-

pulsi rationibus idem sequuntur. Praeter illos enim, qui rem oderunt propter homines, alii sunt, qui humanitatis disciplinam neglectam et in hominum odium vocatam libentissimo animo videant, quippe quam suis consiliis rationibusque obstare intelligant.

In reipubl. enim novitate, nuper condita academia, cum initio facilis ad publica munera pateret aditus, nemo fere pater filio melius prospecturum se putabat, quam si eam viam ei aperuisset, quae recta ad civitatis munera, id est, in summae felicitatis portum duceret. Haec autem via, utpote quae per salebrosas antiquitatis semitas longosque anfractus ducat, et ardua est, nec sine multo et temporis et rei familiaris dispendio conficitur. Quid mirum igitur, si homines, quibus, ut brevissima via ad munera quaestusque perveniant filii, unica est cura, studia ea, quorum utilitatem et praestantiam ipsi haud capiunt, pro molesto impedimento vanaque virium, temporis, pecuniae iactura et ipsi habent, et vulgo neglecta legibusque semota cupiunt? Cuius rei haud multum abhinc non sine taedio insigne vidimus exemplum, quod ut tum omnibus fere doctis hominibus insperatum evenit, ita gravis erat ominis, quid in posterum de huius disciplinae conditione sit suspicandum. Quod autem molestius est, hoc hominum odio eo iam est res deducta, ut haec antiquitatis abiiciendae et vexandae consuetudo hodie facta sit vere popularis, atque haud pauci homines hac via populi favorem sibi comparandum putare videantur. En largam osorum copiam, largiorem etiam obtrectationis fontem! Et tamen nondum confectus est hic locus; plura enim genera haud difficile est accumulare. Sed modus adhibendus est. Unum tantum super-

addam genus, insigne satis et memoratu dignum. Isti enim aut nihil aut alia omnia afferunt, veterem cantilenam ab aliis decantatam repetentes; veras odii causas, ut per se satis inhonestas, callide dissimulant; hi autem, humanitatis libertatisque honestum nomen prae se ferentes, magnifice se iactantes incedunt. Liberales scilicet sunt homines, et satis liberaliter quoque concedunt, bonas esse per se has literas; sed negant iidem, apta esse earum studia tenellis puerorum adolescentiumque animis; nimis impedita, nimis ardua esse; severa et diuturna disciplina, qua ad has literas etiam mediocriter addiscendas opus sit, infringi atque hebetari omnem iuvenilis animi ardorem ac vigorem, indolemque humilem fieri, abiectam, servilem; nostra praesertim aetate atque in libera republ. ad maiorem publicae vitae communiumque rerum curam et studium educandos esse adolescentes, eorumque animos libertatis studio imbuendos, id quod longe aliter effici debere, quam grammaticis minutis inculcandis cognitioneque tradenda antiquarum litterarum, quarum nullis sit nisi eruditis hominibus usus.

Video Vos, AA., mirantes, obstupentes, addubitantes etiam! At, credite mihi, audita sunt istae voces, nec semel auditae, sed saepius. O sanctissimum libertatis nomen! quam multi in ore te habent, veram tuam rationem quam pauci capiunt! Misellos homines! qui non vident, necessitatis vincula quo pauciora sint et laxiora, eo maiori opus esse hominibus animi moderatione et continentia! Servus enim vi metuque coercetur, liber autem homo sua prudentia suaque temperantia et constantia. Nam videtis, imperitos istos ho-

mines non in nostras litteras invehi, sed in universam disciplinae gravitatem. Valeat falsa ista humanitas, exitiosa ista lenitas, quae, de teneritate iuvenilis animi anxie sollicita, tarditati puerorum, desidia, ignaviae indulget! Valeat pestiferum illud libertatis studium, quod lascivientem puerilis ingenii libidinem, temeritatem, petulantiam excitat alitque! Corpora non desidia, mollitie, lauta, voluptariaque victus cultusque luxurie firmanur et roborantur, sed laboribus, sudore, algoris, caloris, famis sitisque patientia. Eadem est etiam animorum ratio. Prava enim indulgentia hebetantur et effeminantur, severa autem disciplina et exercitatione acuuntur viresque et nervos colligunt. Verum tales ineptias quid attinet pluribus impugnare? Profecto verbo tantum rem attigissem, nisi in hac antiquarum litterarum disciplinae severitate et difficultate, quam iactant, praecipua posita esset causa, cur perceptio earum optima sit ingenii conformatio. Quid enim est illa difficultas, nisi gravissima ingenii virium exercendarum imposita necessitas? Quam ob causam queruntur de hac difficultate homines, nisi quod vident et sentiunt, ad has litteras discendas acriori opus esse animi contentione et exercitatione, summa diligentia, severo atque indefesso studio? Nam hac ipsa re maxime splendet huius disciplinae praestantia, quod iuvenilis ingenii vires optime et in omnes partes intendit, animumque ad meditandum iudicandumque impellit et quasi cogit, et non solum percipere memoriaque servare, sed etiam cogitare perceptaque tractare et in verum usum convertere adsuefacit. Hac autem ingenii contentione non infringitur animi vigor, sed excitatur, non habeatur acies, sed acuitur,

non debilitatur robur, sed confirmatur. — Quod autem dicant de nostra aetate, de liberae reipublicae temporibus, id aut nihili est, aut falsissimum. Quasi vero ulla aetas, nostra praesertim, tot tantisque turbis, tanta diversitate sententiarum et studiorum agitata, civibus non indigeat fortis et exercitati ingenii? Dicam autem, quod sentio. Tantum enim abest, nostris temporibus ut minus utilia putem esse haec studia, ut mihi in ipsa temporum ratione ad ea retinenda summoque opere commendanda gravissimum incitamentum positum esse videatur.

Nostra enim aetate *interna* vita, ut ita dicam, uberrima est et multiplex; rerum cognitione, litterarum scientiarumque varietate et copia praepollemus; artium opificiorumque perfectione merito gloriamur; at *externa* vita, communis et publica, tenuis et angusta. Omnis fere singulorum industria non publicam spectat salutem, sed in privata suae suorumque felicitatis commoditatisque cura versatur. Pro amore patriae regnat amor sui; pro divino boni pulchrique sensu, qui ab omni cupiditate alienus honestatem omnem communemque hominum salutem complectitur, obtinet turpis sordidaque circumspectio, quae omnia suis tantum emolumentis metitur, omnia ad suum tantum lucrum revocat. Hinc immodica peculii cura, incredibilis aviditas, quae, omnia ad se rapere cupiens, alterum nullo commodo, nullo lucro frui invida patitur. Qui, cum de suo quaestu, de suis vectigalibus agitur, nunquam explentur, iidem in aliorum redditibus aestimandis diligentissimi et maligni; in suis commoditatibus voluptatibusque in victu cultuque saepe delicati et effusi si autem

publica res agitur, si ad communem salutem publicis opus fuerit sumptibus, tenacissimi iidem et parcissimi; publica onera et vectigalia ipsi inviti pensitant, in alios vero transferre, aliis augere adnituntur. Non quid honestum sit, iam quaerunt homines, sed quid utile, et evenit, quam iam antiquissimi sapientes foedissimam existimarunt pestem, utile ut divellant homines ab honesto. Utile enim quid istis videtur? Num quod decorum, quod ad communes fortunas, communem dignitatem pertinet? Minime vero. Sed quod praesentis sit lucri, quod suis inserviat commodis. Late autem patet haec utilitatis sectatio. Attingit etiam nostra studia. Clamitant enim homines, vitae inutilia esse haec studia; nihil inde redundare fructus, nec singulis hominibus nec reipublicae; quid attinere in scholis, in academïis pueros iuvenesque insudare obsoletis linguis et rebus, quarum cognitionis per totam vitam nulla sit utilitas? Ecquid attenditis eandem de vera utilitate notionis pravitatem, eundem nominis abusum turpissimum? Quid sibi volunt isti homines? quid utile est? quid hominibus discendum? „Quae ad aliquem vitae usum revocari possint,“ respondebunt, id est, quae aliquam lucri aut commodi faciant spem. Sed lucrum vitaeque sustentationem ex variis quaestibus negotiisque petunt homines, nec eadem omnibus sunt quaestuosa vel, ut dicunt, utilia. Agricolae utilissima est notitia soli varietatis, stercorationis, arationis, nautico vero inutilis; huic autem maris, siderum, navigandi cognitio utilissima, eadem autem agricolae vel opifici inutilis. Quid igitur? Num haec est universae disciplinae totiusque eruditionis ratio, hic summus et unicus finis, ut singuli sin-

gulis negotiis et muneribus idonei fiant, suam quisque artem, nihil autem aliud, edocentur, res rusticas tantum agricola, navalem disciplinam nauticus? Aut tollendae igitur omnino sunt scholae, aut totidem aperiendae, quot in societatibus hominum sunt quaestus et negotia. Bone Deus! Quam praeclare constituta fuerit res scholastica, quam bene reipublicae provisum, si in ludis aliquando videris de farina et mactra, de corio et calopodio scholas habentes magistros! In litterarum autem ludis, in academiis quae sint medico, quae causidico, quae sacerdoti discenda, eadem utilitatis trutina subtilissime examinandum; nihil scilicet nisi suam quisque artem edocendus, quippe cetera enim ad vitae usum inutilia. Quid enim verbi causa medico opus est algebra? quid causidico naturali historia vel astronomia? Ecquid videtis, quid sordida ista utilitatis sectatione efficiatur? Ut peritos et bene exercitados habeamus pistores et sutores? Fortasse; quamquam non credo. Ut prudentes etiam et sollertes medicos, causidicos et sacerdotes? Constanter nego. Ut bene moratos, communis salutis studiosos, subacti ingenii cives? Nullo pacto. Hoc autem certissimum, fore ut varia civium genera a se invicem quammaxime segregentur, nulloque intercedente vinculo distineantur; ut omnes omnia ad suum quaestum, suam utilitatem referant, communem autem salutem, publicas res, patriam, virtutem et honestatem ne flocci quidem faciant.

At, dixerint isti, hoc recte improbandum, nec in hanc sententiam illa a nobis dicta. Hoc tantum agimus, ut, quidquid discant homines, id eiusmodi sit, quod cuique homini, cuiuscumque ordi-

nis, in vita aliquando sit utile. Rectissime; modo ne eandem praeceptionem huic verbo subiicerent. „Itaque, pergunt, „pro obsoletis illis linguis edocendi sunt pueri mathematicam, physicas scientias et nescio quid aliud.“ Quidni stratinam, ut sua sibi calceamenta, quidni vestificationam, ut vestimenta, si Dis placet, subseciva opera ipsi conficiant? An, quaeso, existimatis, hanc potissimum ob causam in litterarum ludis arithmetica, artem sane utilissimam, doceri pueros, ne ementes aut vendentes, subductis rationibus, vel numulo defraudentur? vel geometriam, quo agros suos ipsi demetiantur, vel aliud nescio quid in quotidianae vitae usum ne ignorent? nec potius idcirco his aliisque artibus litterisque in publicis scholis imbui pueros, quod eae ad universas animi vires ingeniique facultates exercendas et excolendas quamplurimum conferunt, eamque efficiunt hominis conformationem, qua in quavis vitae conditione, quovis officii genere, probus, idoneus, tam sibi tum communi saluti utilis reddatur?

Sed forsitan iam nimius fui in hac hominum sentiendi pravitate excutienda. At maxime attingit haec disceptatio nostrae disciplinae utilitatem, quamquam universum eius patrocinium hoc ex loco minime suscipio. Id tantum egi, ut hoc insigni exemplo, quod ad gravissimam rem pertinet, educandi instituendique rationem, saeculi nostri perversum illud utilitatis studium satis luculenter perspiceretis. Hac autem sordida cura, qua mature iam inducuntur iuvenes, ut ea tantum admirentur studia, quae praesentis et manifesti quaestus expectationem ostendant, adsuescuntque, subtilissime subductis rationibus, quid maximum lucrum et com-



modum praebeat, computare; hac aviditate, cui nihil sancti pensique est; hac avaritia, quam omnium vitiorum esse matrem, iam vetusta est vox, fieri non potest, quin, a pueris inde corruptis hominum animis, tollatur sensus veri, pulchri, honesti, exstinguatur omnis humanitatis lux, funditus auferatur reipublicae amor studiumque communis salutis, timendum denique sit, ne omnia misceantur et pessumdentur.

Iam vero haec aevi perversitas quomodo est debellanda? Nullo profecto alio modo, quam illa totius hominis perfecta et absoluta conformatione, qua omnes ingenii vires et facultates aequabili concentu excolantur, mores emolliantur, sensus veri, pulchri, honesti excitetur, verbo, ad veram humanitatem revocetur homo. Hac enim ab humilibus avertitur animus, ad excelsa et generosa convertitur, revocatur a sordida lucri cupiditate ad patriae amorem communisque salutis studium, verae libertatis imbuatur sensu, gloriae sinceraeque virtutis cupiditate inflammatur. Ad veram autem hanc humanitatem in animis hominum excitandam et confirmandam, cum aliae multae multum conferant litterae doctrinaeque, tum nulla melius quam haec, quae non verius antiquitatis quam humanitatis dicuntur studia, summo iure mihi videor affirmare. Noluerim, A.A., de universa huius disciplinae hac in re praestantia hoc loco disputare. Satis iam est ab aliis disputatum, et coram tali corona, quae et ipsa eruditissima eruditissimorum hominum hac de re consensum ignorare nequit, facile tali disceptatione possum supersedere. Ea tantum monebo, quae propositam rem propius contingunt.

Quam enim in nostro aevo desideramus virtutem,

Bibl. script. A. I. 1.

7

quae, patriae et communi reipubl. unice addicta, privata commoda, lucrum, humilia omnia prae publica salute negligit et contemnit, eius in antiquitate laetissimam et perfectissimam videmus imaginem. Omnia illi ad summam reipubl. referebant, non ad privatam utilitatem et commoditatem. Vita eorum publica fuit et in reipubl. luce, non ut apud nos plerumque privata; et, si quis aut ingenii facultatibus, aut insigni sapientia et sollertia abundans, ad rempubl. non accederet, nec ad communem salutem suam conferret virtutem, sed aut in otio lateret, aut in rebus familiaribus solis occupatus, hoc summae erat turpitudini. Domi parci, in publicis rebus liberales et splendidi. Virtus eorum gratuita erat, et quidquid virium, officii, facultatis condonabant patriae, id nulla captata mercede, verae gloriae cupiditate impulsus condonabant. Respubl. veteribus illis, non ut nobis, instar fontis erat, ex quo singuli agros hortulosque irrigarent, isque prudentissimus, qui maximam aquae copiam in suam utilitatem derivasset, sed fluvii, in quem suos quisque rivulos deducebant, ut ipse quam amplissimus et pulcherrimus proflueret. Hinc praeclara illa abstinencia, praeclarum illud lucri quaestusque fastidium, cuius optimum videmus in ipsa iuvenum institutione exemplum. Nam quamquam artibus et litteris egregie imbui voluerunt iuvenes, nemoque liberaliter institutus habebatur, nisi qui totum illum doctrinae orbem (*ἐγκύκλιον παιδείαν* Quintil. I. 10.) complexus fuisset, tamen si quis ita artem aliquam edoceri voluisset, ut quaestum inde faceret, sordidum id habebatur atque illiberale. Quare optime ille Graecorum philosophus, Iuvenes, inquit, non hunc in finem artem delineandi edocentur, ne in

suppelletilibus aliisve artis operibus emendis vel vendendis fraudentur, sed ut rerum corporumque pulchritudinem rite intelligant; nam in quaque re quid utile sit, quid quaestuosum, respicere, id liberali et generoso homine indignum. Haec autem abstinentia, hic patriae amor quam laeta aliarum etiam virtutum stirps ac semen! Nam quid dicam de insigni illa verecundia et moderatione, quae, nihil nimis admirata, in omnibus rebus decorum et honestum sequebatur? de flagrantissimo libertatis studio, quod in tyrannide et saeva dominationis crudelitate arcenda semper promptum erat et paratum? de continentia et obtemperantia, quae, legibus semper parens, nullas officii partes recusabat? de magno illo animo et fortitudine, quae pro patriae salute omnia, fortunas, ipsam vitam alacri et constanti animo devovebat? Hae autem similesque virtutes non singulorum erant vel paucorum, sed communes totiusque populi ingenio medullisque ita ingenerate et impressae, ut non tam honestum esset habere, quam turpe carere. In moribus, institutis, factis, scriptis idem spirat ingenium. Quidquid classicae antiquitatis monumenti spectaveris, quemcunque scriptorem evolveris, in quavis particula, quavis pagina easdem virtutes videbis expressas, commendatas, celebratas.

Quae cum ita sint, ad illam aetatis nostrae foedissimam labem eluendam quid plus conferat, quam huius antiquitatis studia? Revocandi sunt ad antiquitatem homines, penitus sunt imbuendi ingenio eius et indole. Quod ut fiat, iam pueri in huius antiquitatis et humanitatis vestibulum deducendi, ut aliquando in adytum perveniant. Profecto sic persuasum habeo, sic sentio, ad puerorum adolescen-

tiumque ingenia et mores conformandos nullam institutionis partem hac disciplina pertinere magis. Morum enim praecepta, audiuntur illa quidem, sed facile cum praeceptoris voce ex animis elabuntur; at illis studiis universa cogitandi ratio animique indoles et sensus ita conformatur atque humanitate imbuatur, ut antiquitatis ingenii aliqua certe vestigia nunquam non remaneant. Quemadmodum enim quem semel recepit testa odorem, diu servat, ita antiquitate imbuti animi, quamquam ad alia convertuntur studia, eius colorem diu retinent, imo nunquam prorsus deponunt.

De reipubl. autem nostrae ratione ut pauca addam, in hac communi omnium libertate, qua in tota Europa hodie maiorem reperiri nullam gloriamur, num haec antiquitatis studia exterminanda vel negligenda? Aliter sentio equidem, longe aliter. Imo nullis reipubl. temporibus magis iis opus fuisse credo. Nullam enim esse in civitate veram et communem omnium libertatem, nisi bene institutis et eruditis civibus, frustra que esse aut communi saluti perniciosissimum maximarum rerum arbitrium ad rudem et imperitam multitudinem deferre, res iam satis est perspecta tristisque gentium fortuna et cladibus satis probata. Quare quae gentes hodie liberiori rerum publicarum constitutione utuntur, eae tamen legibus atque institutis, quoad eius fieri potuit, cavere conatae sunt, ne cui summa rerum publicarum potestas committeretur, nisi qui eam, qua opus esset, rerum cognitionem et intelligentiam habere iure esset existimandus. Itaque in publicis evocatorum virorum consiliis apud illas gentes haud facile quemquam reperias, nisi egregie eruditum liberaliterque institutum hominem. Aliam

autem esse in patria rei rationem, quis ignorat? Quod utrum cum reipubl. fructu et commodo fiat, an detrimento summoque bonorum periculo, quis in tanta rei novitate diiudicaverit? Equidem hoc tantum iure mihi videor posse affirmare, quibus summarum rerum mandetur arbitrium, iis inesse debere non solum integritatem aliquam et probitatem, sed etiam subactum ingenium, cognitionis et doctrinae varietatem et copiam, verbo veram politiorumque humanitatem. Hanc autem ex antiquitatis scaturigine praecipue esse hauriendam, quid attinet pluribus aut disserere aut repetere? Quid? nonne testantur ipsa illa patriae instituta et leges tum vetustiores tum recentiores, quae publica munera, certe graviora, nisi qui assiduam sedulamque his litteris dederit operam, deferunt nemini? Magistratibus igitur et praefectis, quorum provincia ad paucos saepe pertinet, et in levioribus rebus versatur cura, hanc humanitatem necessariam putatis, iis autem, quorum curae gravissimae res committuntur, leges, instituta, summa iuris dicendi potestas, omnium salus, non necessariam putatis? Verum audio dicentem aliquem: Quid? rusticos illos nostros et opifices (nam horum iam inter evocatos nostros viros maiorem videas numerum) tu vis graecis latinisque litteris operam dare? Minime vero, AA.! hoc nec fieri potest, nec, si posset, esset salutare. Verum hoc volo, hoc summopere sinceroque animo opto, ut, quorum res fortunaeque patiantur, antiquitatis litteris ingenioque imbuantur quam plurimi, ne (quoniam suspectae scilicet fidei sunt magistratus, nec ii aliis quoque de causis satis idonei) quibus populus rerum gravissimarum curam committat, desint unquam viri fortes, sapientes, liberaliter

instituti educatque, neve magis quam magistratum sellae et tribunalia, haecce\*) evocatorum virorum subsellia hac careant humanitatis eruditio- nisque elegantia. Quid? ut unum ex multis comemorem, praeclara illa ars, quae hominum coetus tenet, mentes adlicit, voluntates impellit, quam unam in omni libero populo semper dominatam esse, summi iudicarunt antiquitatis philosophi, divina eloquentia, ubi tandem magis necessaria, magis efficax, potens magis? Unde autem addiscenda, nisi ex Demosthene illo, Cicerone, aliis multis, quorum egregia opera nulla aetas non summo studio admirata est, sibi ad imitandum proposuit? Praeclare hoc vidit, ut reliquam quoque antiquitatis vim et praestantiam, illa gens, quae recentiori aevo non solum? civili illa eloquentia, sed etiam ceteris politicis virtutibus, proxime accessit ad antiquitatem, Anglicam dico, in qua nullus fere iuvenis, qui quidem liberaliter institutus haberi voluerit, severa et accurata antiquitatis doctrina, vel classica illa, quam ipsi dicunt, educatione non imbuitur.

Et haec quidem hactenus. In copiosissima re cum plura dicere facile sit, consulto praetermitto; nam finis imponendus est, ne in nimiae loquacitatis crimen temere incurram. Vidistis, in quanto discrimine versentur in patria ea studia, quorum utilitatem his temporibus praecipuam vindicare conatus sum, quanta obtrectatorum turba obruantur, quantis clamoribus agentur. Hisce vero clamoribus, qui non solum in circulis et coetibus hominum auditi sunt, sed in summis quoque publicis

---

\*) Habita est oratio in ipso illo oeco, quo evocati in patria viri conveniunt.

consiliis, hisce insectationibus, quibus non tantum de plebe homines, sed graviores etiam viros interdum haec studia petivisse vidimus, commotum me nunquam si dicam, omnem sane humanitatem ipse exuisse videar. Quid enim, obsecro, viro gravi, quales omnes esse cupimus, accidere potest acerbius, quid tristius, quam, quibus in studiis inde a puero assiduam collocavit operam, quae summo cum iuventutis fructu profiteri conatus est, ea si, tanquam inutilia et obsoleta, neglecta vulgo et contempta videt? Quid mirum, si undique circumsonante clamore et fremitu tandem obrutus, interdum operam et oleum perdidisse, et pro gravissimis rebus inanes umbras vanaeque eruditionis praesidia sectatus sibi videtur? Sed erexit me summus gravissimorum et eruditissimorum hominum consensus, erexit obtrectatorum imperitia et levitas, qui, quod ignorant, id acerbius fastidiunt, erexit aliarum gentium exemplum, quae, post neglecta in tempus haec studia, tristi experientia meliora edoctae, in priscae disciplinae portum et perfugium reversae, eximiam in iis et felicissimam iterum collocarunt operam, erexit denique salubritas suavitasque fructuum, quos ex his studiis quotidie percipere animum sentio.

Quae cum ita sint, enixe etiam optamus et precamur, quorum curae huius disciplinae et totius eruditionis ratio commissa est, ut ii quantumvis ingravescente vulgi fremitu ne temere commoveri se sinant, sed caute et circumspecte in re gravissima agant. Facile est tollere et novare, semel autem sublata restituere, seroque cognitum detrimentum resarcire, difficillimum. Vos autem, academiae nostrae Doctores, Collegae Cel., quorum ad numerum

me quoque adscriptum esse, summa in gloria de-puto, Vos iam compello. Sublevate causam nostram, et laborantibus litteris fortiter succurrite. Non enim nostra res magis agitur, quam Vestra. Nam profecto nostris studiis non potest clades et detrimentum inferri, quin futurum sit, ut Vestra quoque in discrimine versari brevi sentiat. Et Vos denique, Commilitones lectissimi, incumbite, ut facitis, in haec antiquitatis studia, verae humanitatis efficacissima adiumenta et subsidia, strenue incumbite, quantum patiantur vires, quantum ferat rerum Vestrarum ratio; quod si feceritis, credite mihi, nunquam Vos poenituerit.

Restat tantum, ut pro communi salute solennes preces pie riteque faciamus. Serva igitur Tu, Deus O. M., patriam nostram dulcissimam, eamque laetissime fac florentem et vigentem. Serva patriae patrem, Regem Augustiss., amores nostros et delicias! Diu etiam regnet sanctissimus senex, diu etiam fruatur populi amore! Serva etiam Coniugem, Reginam Augustiss., serva filium, regni haeredem, spem patriae, eiusque uxorem non minus quam filios ac totam regiam domum. Vigeat civium inter se concordia, qua fracta infringuntur et ipsi reipubl. nervi. Late disseminetur laeta rerum cognitionis intelligentiaeque seges, floreat academia nostra, floreat litterae; nam obtinente feritate et barbarie fugit libertas, tabescit civium felicitas. Usquequaque spargatur humanitatis lux, qua extincta exstinguitur omnis hominum virtus atque honestas. Has Tu preces, immortalis Deus, ut ratas facere velis, pio precamur animo.

---



# HENR. CAR. ABRAH. EICHSTAEDT

## DISSERTATIO DE NOVO MICH. OLMONIS CONSILIO CIVITATEM LATINAM FUNDANDI \*).

Fuit patrum nostrorum memoria tantus latinae linguae honos, tanta dignatio, ut in academica quidem institutione nefas existimaretur alio, quam latino, sermone uti. Quam consuetudinem, in academiis Batavis, partim etiam in alma Lipsiensi, hodieque vigentem, in Germania primus et ipse deseruit, et aliis, ut desererent, auctor exstitit Christianus ille Thomasius, philosopho acumine non magis, quam academiae Halensis, cuius condendae occasionem praebuit, fama et celebritate illustris: de cuius consilio, abrogandi pristinum academiarum sermonem eiusque loco vernaculum introducendi, tam facete narravit I. M. Gesnerus, ut videar operae pretium facere, si ex utilissimo eius libro \*\*), sed paucis hodié cognito, paucioribus lecto, et tantum non oblivioni tradito, quae ea de re scripta sunt, iam transferam.

„Thomasius, ait, qui prae odio harum litterarum, quod conceperat, patris Iacobi disciplinam fugiens, Halam se contulit, primus, quum nesciret linguam latinam, usus est germanica. Deinde vero habuit

\*) Promulgandis certaminibus litterarum academiae Jenensis edita a. 1822 ibid.

\*\*) Praelectiones in primas lineas Isagoges in eruditionem universalem, per I. N. Niclus editae (Lps. 1774. 8.) T. I. p. 102.

etiam causas satis idoneas, cur hoc faceret. Nam erant tum ea tempora, ubi quidem loquerentur doctores latine, sed ita, ut melius fuisset loqui germanice. Et fortasse, si lingua latina non doctum fuisset in scholis et academiis, illa non esset tam corrupta, ut graeca adhuc pura est et integra: sed tum in omnibus scholis latine docebatur. Ergo causa mutationis fuit primo Thomasio ignorantia, deinde iustissima causa, ne forte plane perderetur lingua latina. Hinc factum est, ut politi homines, qui scirent latine, starent ab lingua germanica, et hac in posterum docendum suaderent. Contra semibarbari pro ipsa latina propugnabant. Sed germanica lingua satis citos progressus habuit, moxque praevaluit.“

De corruptela, quae, Gesnero auctore, per imperitiam magistrorum in latinam linguam invecta est, nemo dubitabit, qui animadverterit, parem nostra aetate calamitatem linguae graecae inferri inscientia illorum, qui pueros, graece balbutientes in ludis litterariis, et graecas commentationes, orationes, carmina ostentantes, quum ipsi sint impares vitiis graecitatis corrigendis, totique ab Rostii nostri lexico pendeant, ita foveant laudibusque extollunt et despiciari latinae linguae exercitia docent, ut si imberbes Platones, Demosthenes, Homeri subelliis scholasticis insedissent. Thomasio autem quod Gesnerus ignorantiam obiecit linguae latinae (poterat eodem iure etiam graecae\*), in eo ne hu-

---

\*) Fuit aliquando, quum iuvenis, litterarum studiosus, Thomassium adiit, humanissime petens ab dilecto magistro, ut libro, quem offerebat, memoriae amicorum sacro, quiddam Graecum inscribat. Ille vero, oranti annuens, haec inscripsit verba, accentibus etiam notata: *Κακὰ τὸν οὐκ ἔστι*

manissimum virum iniquius iudicasse ~~consecamus~~, prohibebunt libri Thomasii, latino sermone editi, qui, tantum abest, ut germanicorum, quos composuit, suavitatem et elegantiam assequantur, ut impure sint, inquinata barbaramente scripti: quo factum est, ut, vivo adhuc Thomasio, quum cupide libenterque legerentur libri eius germanici, latini neque a Germanis neque ab exteris magnopere expeterentur, aut praecipuam quamdam laudem haberent, mortuo autem auctore, et ipsa iam I. A. Ernesti aetate \*) etiam in Germania cito obsolescerent.

Quae quum ita sint, non caute satis et circumspecte agunt doctores academici, qui, dum patrium sermonem latino anteponunt, etiam iis in scholis, quibus res traduntur non alienae ab ingenio et scientia Romanorum, sed quae latina possint lingua perutiliter explicari, ac fortassis etiam debeant, magni Thomasii auctoritatem sequuntur. Quae res quales sint, malumus Gesneri, quam nostris verbis exponere. Visum est enim hanc totam descriptionem sic instituere, ut testimoniis atque factis comprobemus summorum virorum haec, quae, quum lentius disputantur, parum movere animos hominum

---

πικτόν. Quod imitari poterunt, qui, quum sint inscientes linguae graecae, graecos tamen accentus pingere didicerunt. Ac nobis saepe perdoluit, linguam latinam notis accentuum carere: quibus si exornarentur multa, quae hodie scribuntur, verbis latina, cogitandi componendique modo germanica, facilliores etiam admiratores invenirent. Quid quod ne verbis quidem latinis opus esset latine scribentibus: sufficerent germanica latinis scilicet typis et cum accentibus exscripta. Ceterum quam rem de Thomasio retulimus, eam narravit *Wolffius* in *Analect. litter.* III. p. 303.

\*) Cf. *Ernesti* praef. ad prim. ed. *Initior. doctrinae solidioris* p. X

solent. Gesnerus igitur, ubi quaerit, an non in aliquam partem honoris sui restitui lingua latina possit, „est sane optabile, inquit \*), id ut fiat certe in quodam genere praelectionum, in iis imprimis, quae ab antiquis accepimus, v. c. in historia antiqua, in historia philosophiae, in antiquitate graeca et romana, ne homines, aliarum rerum rudes, haec tantum ex parte arripere studeant, et tamen non assequantur. Item praelectiones et disputationes metaphysicae, et bona pars philosophiae, abstrusioris praesertim, debebant latina lingua haberi et tractari, e. g. disputationes de primis principiis cognitionis, de existentia summi numinis, de veritate christianae religionis, cet., ob hanc causam, quia hic disputando subinde deiicit alter alterum, et mox fiet, quod saepe iam factum est, ut vulgus hominum, eruditorum etiam, quum audiant de ratione sufficienti, de dei existentia, de divinitate scripturae sacrae, adhuc disceptari, incipiant dubitare, et in dubium vocare omnia, dicantque: Si eruditi hoc nesciunt; si illi adhuc litigant inter se: quid mea hoc refert? Cum vulgo autem non debet disputari, sed illud est occupandum. Ita de aliis quoque, quae sunt subtilioris indaginis, v. c. de structura corporis et animae. Non quasi invidiam haec feminis et aliis infirmioris ingenii hominibus: sed feminae, ut Paullus dicit, domi discant, nam multi sunt de his rebus gallici et germanici libri. Sed illae ipsae germanicorum librorum disputationes plus damni afferunt, quam utilitatis. Quae sunt *μυστηριώδεα*, quae pertinent

---

\*) l. l. p. 104.

ad interiorē scientiam, ea sunt reverentius et occultius tectiusque habenda.“

In his quo magis Gesnero adstipulantur, qui sunt harum rerum intelligentes \*): eo molestius ferendum est, disciplinam scholasticam et academicam mox eo esse deductam, ut ista surdis auribus canerentur. Inciderunt enim ea tempora, quibus lingua latina cathedris academicis deiecta, acroateriis expulsa, libris doctorum exclusa, et communi propemodum eruditorum consuetudine et commercio sic prohibita est, ut incredibili non modo invidia, verum etiam infamia flagraret. Nam quo quis vel indoctior erat, vel novarum rerum studiosior\*\*), eo magis linguam exsulem risit, oppressam contempsit, in iacentem insultavit. Gesnero autem id certe solatii erat, quod ipsius aetate, sicut ipse narrat, medici in academiis adhuc retinebant antiquum latine docendi morem, non solum in Germania, sed in tota prope Europa, idque tanto studio tantaque cum perseverentia, ut unum notaverit Krugerum,

---

\*) In his *Wolffius* in Praef. Orat. Cicer. post reditum p. XIII.

\*\*) Aequum est posteriori scriptorum classi accensere C. M. Pauli, lycei Lubbenensis Conrectorem, qui quinque abhinc annis librum edidit huius tituli et argumenti: *Beiträge zur Sprachwissenschaft. — Der pflegthumlichen (praktischen) Hälfte nach ihrer ersten, gegen den Lateinsprevel gerichteten, Folge Erster Band — mit einer Vorrede gegen das unter uns übliche Lateinreden und Lateinschreiben, als eines der größten Hindernisse nicht nur einer völkergemässen Entwicklung der neuweltlichen Menschheit, sondern auch einer unentstellteren und tieferen Auffassung des röm. und griech. Alterthums selbst.* Ex ungue leonem! Iste vero homo quam sit ad unguem factus magister lycei, in quo linguam latinam florere adhuc speramus studio et commendatione doctorum, viderint li, quibus res cordi est!

nuper, quemadmodum ait, mortuum, qui ab laudabili maiorum instituto descivisset. Quod medicos facere Gesnerus eo existimavit, ut scholis academicis excluderentur medici secundarii, chirurgi et pharmacopolae. Quid quod difficillimum putavit, scholas habere germanicas de rebus medicis, propterea quod pleraque vocabula medica, velut anatomica, chirurgica, pathologica, botanica, sint graeca; graeca autem possint facilius ad terminationes latinas flecti, quam reddi germanice. De his omnibus, permultos esse hodie, qui secus et sentiant et faciant, nemo ignorat.

Sed Gesnerus ista disseruit ante hos septuaginta annos, in ea quidem academia, quae ipsius eruditioni ac famae, incredibile dictu est, quantum debeat. Qui si nunc redire ad Georgiam suam Augustam, aut nostram quoque academiam, cui civis primum, deinde ex propinqua schola vicinus, et Buddei, Theologi Ienensis, fidissimus per totam vitam sectator quam maxime favit, revisere hospes posset: quantum putatis, Cives, illum gavisurum esse non tantum de constantia nonnullorum doctorum, qui commendatum ab ipso antiquam rationem in scholis suis vel retinuerunt vel instauraverunt, sed potissimum de eo, quod passim publice renovata est latine scribendi orandique necessitas, quin latine etiam docendi et examinandi consuetudo, quam Gesneri aetate ne regis quidem edicta restituere poterant, iam Principum sapientia et auctoritate in academias nonnullas, maxime Borussicas, reducta est. Amplius quaeram. Quid eundem eruditissimum virum existimatis iudicaturum fuisse de novo quodam consilio, latinae linguae usum non tantum consortio vindicandi eruditorum, sed universae vel genti vel

coloniae redonandi, nec latinas tantum academias, sed latinam adeo civitatem condendi?

Scilicet hac de re, perquam sane mira et inexpectata, paucis ad vos referre volui, Commilitones, ut, quantum illico mutata sint tempora, quam novi hominum mores, intelligatis. ~~Prodiit enim~~ paucis abhinc mensibus Tolosae *de lingua latina colenda et civitate latina fundanda liber singularis*, scriptus ab erudito Hispano, *Michaele Olmone, S. T. D.* dicatusque octo illis Principibus, quorum fide ac virtute Europa nuper pacata est: quos ille ut novam quamdam civitatem latinam constituent, diligentissimis precibus, cohortationibus, monitis impellere atque instigare conatur. Qui liber quum necdum mihi visus, neque cuiquam vestrum facile in manus venturus sit, faciam animi caussa, ut, quae potiora sunt et consilium scriptoris patefaciunt, ex alio libro, et ipso satis infrequenti his in oris, \*) in quo ista repetita sunt, per hanc scribendi occasionem proponam. Ac de consilio quidem suo ita ille scripsit: „Id mihi *consilium* \*\*) fuit, vos, o Principes, bene facere, si, ad *restaurandas scientias*, atque sanctae vestrae concordiae, indeque pacis obtentae memoriam perpetuam consecrandam, civitatem, licet principio parvulam, aequalibus sumptibus fundetis, ubi homines christiani, latini sermonis callentes, ex toto orbe praemiis atque honoribus asciti, propriis etiam legibus muniti, latinam linguam cum

\*) *Classical Journal* No. L. for June 1822. p. 281. sqq.

\*\*) In hac Hispani oratione (pleraque enim satis oratorie scripta sunt) *litterae cursivae* quo spectent, dixi p. 121. Orthographiae tacite prospexi: etiam interpunctionem saepe vitiosam passim mutavi.

posteris suis colere, et loqui *in aeternum sponte sua* cogerentur.“

Tum vero multus in eo est, ut praestantiam latini sermonis demonstret: „*Quoniam* mortalium omnium haud facile una est opinio, magnique imprimis refert, in his stabiliendis, quae ad bonum attinent communitatis humanae, multitudinis suffragia gratiamque captare; aequo animo patiamini, precor vos, o excelsi Principes, hic me nonnulla conferre pro latini sermonis praestantia. In eo enim tota mea vertitur sententia, uti illum, ab istis hodiernis *commodioris* sapientiae asseclis adeo neglectum, maxime colendum proponam, atque, vobis iuvantibus, perpetuo conservandum, et in *pri- stinos honores* restituendum, praesertim quum videam eiusmodi nonnullis de universali lingua arri- dere sententiam, *quod* suae quisque, *nempe* Gal- lus gallicae, Anglus vero anglicae, hunc commu- nis usus honorem merito *adiudicari deberi* existi- ment; immo *gallicam* etiam exteri nonnumquam *pa- trocinentur*, illam, propter artissimam eius, atque, ut creditur, faciliorem syntaxin, humanae consue- tudini magis idoneam arbitrantur, quod quam longe secus sit, postea dicam: male enim *praesumptum* est, eas linguas, quae rudes *sunt*, simpliciores esse.“

Inde progreditur ad linguas novitias, ut, quam imperfectae sint et contemptibiles prae latina, quam parum etiam aptae celebrandis tantorum princi- pum virtutibus, ostendat: „Nos autem, o invictis- simi Principes, *aetatem*, deo sic volente, *viximus*, non modo magnis et memorabilibus rebus fecun- dam, sed etiam *talibus* refertam inauditis even- tibus et prodigiis, ut vix illa cuiusquam mens aut



cogitatio capere possit. Nec enim praeteritorum temporum res gestae ullae, nec imperiorum ever-  
siones, nec bella, nec bellorum caussae, aut ge-  
nera, aut exitus cum istis possunt conferri. Quae  
igitur lingua digna prae omnibus habebitur, nisi  
latina, cui honos committatur *factorum horum* me-  
moriā usque ad extrema saecula in universis terris  
et gentibus conservandi? Quae alia gravius, uti  
debet, et sublimius, stilo indelebili, *venturis* homi-  
nibus docebit immensa Gallorum bella, conturba-  
tionem orbis terrarum, Napoleonis casus, summi  
pontificis fidem sanctam, vestramque *demum*, o  
Principes, et ducum vestrorum ac militum, pro iu-  
stitia et pace, constantiam, concordiam et trium-  
phos? “

„Quod si aliquando, uti credi *debet*, *superven-*  
*turi* homines perfectiori ac magis communi ser-  
mone usi fuerint, nostram ignaviam aut *ruditatem*  
mirabuntur, qui post tantam artium perfectionem,  
tot rerum inventa, *scientiarum* quarundam *resur-*  
*rectionem* et restaurationem, rudium sermonum so-  
nos, veluti infantiae doctrinae vagitus, adhuc bal-  
butiamus, posthabito atque despecto uno perfe-  
ctissimo, quo iam fructi sumus. Nam et potuimus  
architecturam, ab statu suo deiectam et corruptam,  
post annos plus mille ducentos restituere, itidem  
naturalem philosophiam, depulsa, non sine vi, ab  
scholis inexplicabilium vocum garrulitate, ad rectas  
rationis et experimentorum *semitas adducere*; istam  
vero totius eloquentiae et doctrinae linguam, istam  
*institutricem* hominum, populorum magistram, a  
qua legibus optimis, *viisque* omnibus *ad* sapientiam  
sumus *edocti*, ex hominum memoria paene evane-  
scere patiemur? Has rudes et *diffformes* tuebimur,

Bibl. script. A 1. 1.

8

quas non rationis delectus, sed dura necessitas atque barbarorum victorum imperium simul cum maerore servitutis apud nos invexit? Quumque res omnino omnes, quibus vita nostra et societas constituitur, disciplinis, legibus, consilio, delectu, atque ratione *regulentur*, admirabilis scientia et utilitas sermonis fortuna ac caeco casu moderabitur? Nam pretiosa ista ars typographica, scientiae praesidium, omnisque scripturae genus, quanto maiorem utilitatem conferrent, si ipsa vocabula, mentis hominum signa, non diversa fuissent! Arithmeticae vero, quae numerorum lingua quodammodo est, quum notae Romanae vel Arabicae adeo simplices ac *toto* paene mundo communes sint, cur non magnopere desiderabimus eandem in notis rerum concordiam?"

Hinc aditum sibi facit ad demonstrandam sive necessitatem sive utilitatem unius linguae universalis, qua, quicquid est doctiorum hominum in Europa, tamquam communi vinculo, consocietur. „Quid enim, o Principes invictiss., humanius poterit excogitari, post admirabilem atque *penitus* ab hominum memoria singularem istam concordiam, qua vos, vestrique populi, adversus unius hominis tyrannidem *concessistis*, quaque adhuc sanctissimis *pactibus* copulamini, quam unam tanto munere dignam linguam colere, cuius vinculo mutua inter huius magnae familiae fratres caritas augeatur? Quid opportunius, vel populis vestris utilius, quam iuventutis animos, adhuc bellicis horroribus, et lituo tubae *sonu* permixto quasi ferocientes, ad benignas pacis artes revocare, amorem illis *doctarum litterarum* inspirando? Quid futuris hominibus commodius, quam unius sermonis nexu *vinci*? Quid dulcius, quam *posse* Europam totam, ac paene mundum ipsum, auxilio unius

*linguas percurrere?* Quid doctius, quam ad unum sermonem aliorum *scientias* et populorum omnium sapientum doctrinas conferre? Quidve iucundius christiano populo, quam nota latina lingua, uti olim, in psalmis deo salutari nostro *iubilare*? Quum et ipsa Italia sanctior et doctior mihi videretur, si Ambrosii et Leonis lingua ipsis etiam pueris iterum fuisset communis; nec solum Italia, sed orbis totus terrarum. Multo enim satius foret, Tassum, Cornelium, Garcilasum, Miltonum ipsum *istis sermonibus* ignorare, quam veteres novosque magistros latinos nescire. Tentarent vero novi latini scriptores, si vertere illos possent, et placerent sibi. Neque enim solis Graecis Sophocles, nec Latinis tantum Horatius scripsit, nec soli Hispani Cervantem suum *admirati sunt*. Quidni ergo deceret, dignos in latinum honorem recipere, unde tantum illis immortalitatis accresceret ac gloriae, quantum ab istis pereuntibus in diem linguis numquam poterunt obtinere?“

Id ut diligenter faciant, et latinam fundent civitatem, principes hortatur. „Maiora quidem haec sunt, o magni Principes, quam a me digne celebrari possint. Haec tamen *vobis cura incumbit*, uti, cum otio perpetuo, filii, posterii vestri, humanum denique genus universum, ornatas a vobis *scientias*, atque a vulneribus, *veritati* exitiali bello inflictis, sanatas accipiant, et huiusce *fraternitatis* exemplum semper vigeat in hominum mente. Quum autem gloriosum imprimis sit imperantibus, urbes aedificare, at illud maxime regum, omnique laude dignissimum, eam condere civitatem, cuius tam conservatio et honos *scientiarum*, ornatusque et utilitas generis humani, quam suorum civium commodum causa fuerit et

principium. Scio enim iam a multis varias pyramidum, columnarum statuarumque species vobis fuisse propositas; quum tamen nihil horum sit, quod aliquando non consumat, et conficiat vis, tempestates, vetustas; multoque gloriosius, animorum nostrorum et virtutum effigies, quam corporum, relinquere post mortem. *Et quidem nemo non videt maiorem in condendis, quam in subiugandis, urbibus gloriam obtineri.* Neque in armis bellicae laudes adeo Imperatorum propriae sunt, ut non fortuna, etiam praeter virtutem militum, atque opportunitates locorum, auxilia, et alia, multum certe conferentia, maximam sibi quasi iure suo vindicet partem, omne paene suum ducens, quicquid prospere gestum est. *Ista vero, latinas Musas linguamque in sedes suas stabiliendi, tota ac propria vestra erit gloria; in cuius societatem sapientum fortasse consilia, populorumque vota vobiscum, non vero fortuna, nec temeritas, nec casus commiscuntur: dumque muri, templa, statuae novae urbis futuris saeculis vestri nominis gloriam et munificentiam narrabunt; cives eius, vobis maximo beneficio devincti, sapientiae vestrae atque populorum concordiae testes locupletissimi, doctae linguae depositum custodient, in communem scientiarum utilitatem.*"

Denique, quo pacto fundanda sit eiusmodi civitas, quo nomine insignienda, aperit: „Quod ut felix faustumque sit, invitato primum a vobis summo pontifice romano, cuius auctoritati ac benignitati me meaque omnia toto animi affectu et reverentia committo, *necnon* Siciliarum, Daniae, Sardiniae, Bavariae, Würtembergi et Hollandiae regibus, republica quoque Helvetiorum, omnibus denique, qui in Europa christiana supremam exercent auctori-

tem, uti si videbitur, tam glorioso operi faveant, concilium, sive senatum *quoddam* doctorum hominum Parisiis vel alia ex primoribus Europae civitate instituetis, qui vestro nomine ac auctoritate, huius negotii curam suscipiat. *Conficiet* is initio mercaturam territorii civitatis, cum agro suburbano satis laxo, in unaqualibet earum regionum, quae in media Europa, sive inter Rhodanum, Rhenum, Oderam et mare Adriaticum sitae sunt. Situs tamen eius non plus miliaribus quinque ab aliqua divite et florente urbe distabit. Habebitque latina civitas in honorem romanae eloquentiae nomen ROMA TULLIA, veterisque regimen ac iura imitabitur, his adiectis, quae, *iuxta praesentis* temporis locique *consuetudines*, ab aliis liberis Europae civitatibus assumi possint. Haec vero, concordiae fructus, vobis omnibus populisque vestris in aeternum copulabitur, non solum foedere pacis, sed etiam patrocinii.“

Postremo et leges novae civitati scribit, et impedimenta removet, quae obici novo consilio possint. In quibus sane pertimescenda sunt maxime iudicia eruditorum, etiam illorum, quos civitate sua donare scriptor constituit. Ac si qui erunt, qui mitius sentiant, accedunt, opinor, sententiae Britannorum \*); qui rem ingeniose excogitam, etiam probabilem esse dixerunt, sed quae non nisi vana spe et animi opinione nitatur.

Gesnerum autem (~~ut ad hunc tandem, a quo progressus sum, revertar~~), disertissimum illum latinae linguae in academiis suasorem et vindicem, cuius

---

\* \*) — — the adoption of a plan, which we consider as ingenious and plausible, but, we fear, visionary.

auctoritas facile ab omnibus agnoscatur, quamquam, de novo Hispani consilio quid statuatur, nunc quaerere non licet: tamen, si ex libris, quos reliquit, coniectura capienda est, eum non aliter pronunciaturum esse putamus, quam amicissimus eius animoque, voluntate ac sensu de litteris ipsis et de rebus omnibus cum ipso coniunctissimus \*) J. A. Ernesti, simili in caussa pronunciavit. „Latinae, inquit \*\*), et patriae linguae suum pretium est: sed suo cuique loco. Patria lingua quin sit ad vitam communem utilior, commoditatesque afferat, quacumque alia maiores, eamque ob causam suus cuique nationi sermo debeat esse carissimus, nemo potest dubitare, nisi qui id operam dare velit, omnem ut cum sensu rationem eiurasse videatur. Addo etiam hoc, si quis velit civibus suis quibuscumque prodesse, ut ad omnes reip. ordines, et utrumque sexum, ex scriptis suis aliqua utilitas redundet, ei necessario esse patrium sermonem adhibendum: neque vitio verti his vernaculae linguae usum posse, qui suis tantum civibus scribant: nisi vero quis etiam Graecis et Latinis vitio dare velit, quod suo potius sermone, quam peregrino, sint in hoc genere usi. Latinae autem linguae summam esse utilitatem, neminemque eam hodie posse ignorare, qui

\*) Verba ipsius *Ernesti* sunt in Narr. de *I. M. Gesnero*, Opusc. or. p. 446.

\*\*) In praef. supra p. 107. laudata p. VIII. Ceterum post *Ernestum* et *Moshemium* (in diss. de linguae latinae cultura et necessitate, praemissa *Ub. Folietae* de l. l. usu et praestantia lib. III. Hamb. 1723. 8.) eadem de re multi scripserunt, nuperrime *I. D. Fussius* in diss. de linguae lat. quum universo ad scribendum tum ad poesin usu, in *Eius Carmm. latt.* Colon. 1822. 4. Adde *Wolfii* sententiam, *Mus. d. Alterthumwiss.* P. I. p. 42. et 116. sqq.

verae eruditionis studiosus esse velit, id vero neminem quemquam serio negare aut dubitare arbitror: ut fortasse cum umbris et larvis pugnent, qui contra eius contemptores declamant, et hoc tantum agant, ut stultis et imperitis hominibus magnam eruditionis latinae opinionem de se iniiciant, magnique humaniorum litterarum vindices et statores videantur; quum ipsi fortasse nihil neque pedestri oratione, neque ligata, scribere possint, in quo quicquam sani coloris insit, aut quod ad veterum elegantiam aliqua ratione accedat. In huius autem generis libris adhibendam eam linguam esse, qui exteris etiam nationibus scribantur, vel prodesse iis certe possint, aut quorum argumentum eiusmodi est, ut a nemine neque legantur, neque legi possint, nisi qui inter eruditos nomen profiteatur suum, facile omnes concedent: nisi quis forte confidat, libris quibuscumque, imprimisque huius posterioris generis, vernaculo sermone scribendis, effici posse, ut exterarum nationes, vel invitae, ei discendae operam dare instituant. Sed ut taceam, eam opinionem vanitatis cuiusdam notam effugere minime posse: qui ita sperant futurum, minime mihi videntur intelligere, aut satis umquam cogitasse, quae res maxime effecerint, ut linguae quaedam latius aliis paterent, ac patriae fines migrarent; quod, ut olim graecae, et deinde latinae, ita hodie francicae contigisse constat. Libri certe Romanorum et Francogallorum numquam eo valuissent, nisi armorum bellorumque vis atque multa alia praeterea, quae hic commemorare non est necesse, ad librorum praestantiam accessissent. Neque vero lingua graeca tot terras olim pervasisset, nisi tot ex Graecia coloniae essent in varias orbis partes

dimissae, et graeca gens una fuisset, quae artes fere omnes invenisset, et ita excoluisset, ut per eam ad summam perfectionem absolutionemque pervenisse viderentur, eoque factum esset, ut omnis sapientia ab iis petenda videretur.“

Praeclare haec omnia: sed unum oblitus est V. S. addere, quod haud scio an palmarium sit. Nam saepe in votis habuerunt viri prudentissimi, et nuper etiam maxima vir auctoritate optavit, ut, quae patrum memoria communis fuisset lingua eruditorum, apud nos adhiberetur rebus publicis, iis potissimum, quae a principum legatis essent obeundae, vel, ut planius dicam, ut lingua latina fieret diplomatica†). Qua ex re quantae sint utilitates oriundae, perspexisse etiam eos putamus, qui inter legatos perraro hodie inveniri Heinsios ac Spanhemios confessi sunt. Ceterum ne huic quidem saluberrimo consilio illam Romam Tulliam, qualem Hispanus informavit, multum profuturam arbitramur.

Quamobrem ne nos quidem, carissimi Cives, novam civitatem latinam appetamus, praesertim hoc tempore, quo expromendis colendisque patriae linguae virtutibus duae sunt in amplissimis civitatibus societates constitutae, quae id agunt summo studio, ut germanico nomini etiam linguae decus vindicetur. Illud autem maxime cavendum est, ne, si quod novum Latium exoritur, cives in illud irrepant barbari magis quam latini, et qui Olmonis nostri exemplum sequuti, Hispanis potius soloecis-

---

†) Quid quod etiam academiis sua quaedam vel ars vel disciplina diplomatica est. Quamobrem vehementer probamus consilium ac morem maiorum, qui, quicquid civibus academicis promulgandum putarent, lingua latina promulgaverunt. Caussae non absconditae aut obscurae sunt.



mis quam romano sermone utantur \*). Ceterum acquiescamus in iis, quae nobis data sunt, et concessis bonis recte prudenterque utamur. Proinde colite societatem latinam, in hac academia natam, educatam, adultam: studium et industriam adhibete seminario philologico, quod latinae quoque linguae latinisque litteris inservit: nolite reformidare scholas, quibus res, quae capiunt latini sermonis elegantiam, latine traduntur: denique adiuti idoneis magistris, non impatientes laboris, crebrisque exercitationibus subacti, latine scribendo ac dicendo assuescite. Quam quidem scribendi vel opportunitatem vel incitationem ea quoque res vobis affert, quae nos ad haec praefanda impulit: quamquam illa, ut verum fateamur, spe atque expectatione iucundior fuit quam eventu. Sed restat, ut de ea dicamus.

Meministis enim, humaniss. Cives, quid vobiscum actum sit anno proximo superiore, quum in nostra quoque academia per Principum munificentiam commissionibus litterariis copiam esse factam nunciabamus. Qua re ordiunda auspicandaque etsi haud exigua animo laetitia percepimus, multo tamen maiorem tum redundaturam ad nos sperabamus, quum feliciter orsis successus prosperi contigissent. Praestitutus fuerat lege mensis huius anni September, quo in lucem protraherentur certa-

---

\*.) Novus noster Romae Tulli civis quae barbare aut so-loeae scripsit, *cursiva litteris* notavimus. Id sat videbatur iis, qui saperent, mallentque acui, quam erudiri: nam singula corrigere, nimis molestum est; neque in scholis quidem nostris ita facere solemus, id maxime prospicientes, ut ludorum litterariorum et academiarum confinia ne temere misceantur.

torum libelli latine conscripti, palamque omnibus fierent nomina illorum, qui palmam retulissent. Quo quidem mense quum ego vitae, in hac litterarum universitate transactae, id spatium attigerim, quo in exteris quibusdam academiis solent rude donari doctores, condito professorii muneris quinto lustro: quid optatius mihi et ad animi mei sensum suavius poterat evenire, Commilitones, quam quod adhuc versari licet vobiscum, eamque administrare provinciam, qua primus in academia Ienensi praemia pronuntiarem, industriae atque eruditioni vestrae ab serenissimis principibus proposita, ab ordinibus academicis decreta? Hanc nimirum summam ex novis laboribus voluptatem exspectaveram, quum superiori anno primam certaminum materiem ordinum auctoritate promulgabam: hanc spem firmiter tenebam, quum nuper in templo Paullino victoriarum praeconia mox sequutura nunciabam: eundem voluptatis fructum tacite mecum sperabant venerandi collegae, qui non minore studia vestra favore, et fortasse etiam maiori cum successu, prosequuntur. Haud egere calcaribus existimabamus ignei spiritus adolescentes, qui sponte ad laudem procurrerent: neque dubitabamus, fore quam plurimos, qui vel rei praeclarae novitate incensi, vel gloriae stimulis concitati, in conspectum et concertationem venirent, qui signa conferrent, qui victoriam reportarent. Sed quid accidit? Duo prodierunt adolescentes, qui de quaestione mathematica propitio magis quam adverso Marte pugnarent, ita tamen, ut victor neuter discederet. In ceteris disciplinis nullus apud nos inventus est neque theologus, neque iuris studiosus, neque medicinae cultor, neque philologus, qui tentare certamen et rem aggredi vellet.

Quod nobis tanto mirabilius accidit, quanto magis de studio vestro, Comm., et summo litteras in scholis discendi amore nobis persuasum erat. Ac, ne quid dissimulemus, maior fuit et acerbior eius rei miratio, quum cognovissemus, etiam institutis theologorum, homiletico atque catechetico, defuisse aemulantium studia, quorum in illo unus, in hoc nemo exstitisset, qui expediendis quaestionibus, non magna profecto difficultate laborantibus, otium dare in animum induceret: qua de penuria τῶν φιλοτιμούντων Ordo venerabilis publica nuper scriptione merito conquestus est. Sed ita vobis favemus, Comm., ita discendi alacritatem, quae est in plerisque vestrum perspectam habemus, uti nunc quidem verecundiam magis vestram et subtimidam cunctationem, quam segnitiam et inertiam, sive, ut in coepta metaphora persistamus, receptum potius, cui modestia cecinerat, quam turpem hoste nondum viso fugam incusandam censeamus. Monemus tamen vos hortamurque impense, ut hanc benignam iudicum de vobis sententiam comprobetis ipsi et ratam faciatis expromendis proximo anno industriae ac doctrinae speciminibus, ut pudorem, nobiles ausus retardantem, tandem vincatis, ut vires ingenii non solum experiamini, (id quod fecisse aliquos audivimus, rei difficultate nimis cito deterritos), verum etiam persequendis experimentis et ad finem perducendis acuatis et augeatis. Denique in memoriam vobis revocamus, quod prudenter dixere veteres, quī novam laudem non mereantur, eos etiam veterem amittere.

Habetis iterum largam cogitandi, scribendi, certandi materiem, Commilitones. Agitedum, ita certate, ut proximo anno quinque nomina victorum, in

templo academico recitanda, aures plaudentium personent. De certaminum legibus revocamus vos ad edictum, quod anno superiore promulgavimus, ex quo, qui congressuri sunt, iubentur commentationes suas ante Cal. Iun. exhibere Decano Ordinis, ex cuius orbe litterario argumentum petitum est. Quod reliquum est, de successu operae, quam hac in re collocabitis, nolite trepidare. Verum illud quidem est, quod Thucydides scripsit, ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει\* sed qui non expertes sunt doctrinae, audaces iuvenes saepe etiam Fortuna iuvat. Et quod Heynius ad excitandam industriam polliceri solebat Georgiae Augustae civibus\*), qui ne opus quidem habebant eiusmodi incitamento, idem nos vobis spondemus: Iudices vestrorum conatuum nanciscemini aequos vestrisque successibus faventes. Etenim nostra quoque in academia his adolescentum scriptionibus non tam illud spectatur, ut nova litteris lux accendatur, aut magna quaedam disciplinis utilitas provideatur, quam hoc, ut ingenii excitentur latentes in vobis igniculi, ut orationis copia et scribendi facultas, nimium hac aetate neglecta, comparetur, et cum subtilitate cogitandi coniungatur, denique, ut virium periculo facto, quid de vitae futurae consiliis constituendum vobis sit, vel ipsi intelligatis tempestive, vel ex monitis et iudiciis praeceptorum vestrorum cognoscatis. Proinde rem prudenter susceptam, his

*Incensi tandem monitis, urgete frequentes,*

*Et magno studio victricem quaerite palmam!*

Scr. in Univers. litter. Ienensi, 8. Sept. a. 1822.

---

\*) Opusc. acad. T. IV. p. 329 et passim.

# GODOFREDI HERMANN

## ORATIO POST OBITUM CHR. DAN. BECKII HABITA. \*)

---

Verissime simul et gravissime dictum est, quod summus ille Thebanorum poeta Pindarus quodam in carmine scripsit: *quid est aliquis? quid non est? Umbrae somnium sumus homines.* Nam ne hanc fragilem vitam commemorem, quae quum omnino homini non sit nisi brevis concessa, tum tot improvisis, tot fortuitis casibus obnoxia est, nullum diem ut nostrum dicere possimus, nisi quem sospites transegerimus, illud multo mihi quidem videtur magis dolendum esse, quod etiam qui maxime vel virtutibus vel factis insignes viri fuerunt, ubi, quem tenebant locum, reliquerunt, post breve luctus desideriique spatium, languescente sensim recordatione oblivioni traduntur. Est illud quidem ab ipsa natura ac profecto sapienter ita institutum, ut, quoniam discedendum est omnibus, tempore minuatur dolor, marcescatque desiderium, et, sicut in flumine quamvis magnus aquae haustus non relinquit hiatum, sed statim impletur vacuum explanaturque communi fluidi nisu superficies, sic etiam in rebus humanis, ne domus, ne civitas, ne universi generis consociatio dissolvatur, intercapedo non sit diuturna, sed succedat alius alii, neque interrumpatur ordo cur-

---

\*) In creatione artium liberalium magistrorum et philosophiae doctorum academiae Lipsiensis a 1833 ibidemque eod. a. edita. Exstat etiam in Opusc. viri cl. Vol. V. p. 312 sq.

susque negotiorum. Verum etsi sic omnes deinceps cedimus aliis, memoriaque obruitur singulorum, tamen pietatis est, meminisse eorum, qui aeternae legi debitum persolverunt, praesertim si desiderium iustas causas reliquerunt. Idcirco et mihi ipsi et vobis, venerandi collegae, vobisque, humanissimi candidati, iniquus parumque memor officii mei esse viderer, nisi hac quamvis laeta in panegyri mentionem facerem eius viri, quem de ordine nostro deque universa academia longam per seriem annorum praeclare meritum nuper mors nobis eripuit. Nolim tamen vos exspectare, me laudes illius viri hac oratione persequi in animo habere. Non ego id mihi arrogo, ut me putem aut recte satis aut digne celebrare posse ingenium, quod in eo eximium fuit; doctrinam, quae fuit amplissima planeque admirabilis; merita, quae tot tantaque fuerunt, ut ne enumerari quidem, nedum convenienter laudari posse videantur. Illud tantum propositum habeo, pietati ex aliqua parte satisfacere quum nostrum omnium, tum meae ipsius, qui illum adolescens magistrum, post in omnibus, quos in academia nostra consequutus sum, honorum gradibus testem, comitem, adiutorem habui. Sic autem exsequar illud officium, ut, quod hic dies atque haec solemnitas me facere postulant, vobis, candidati doctissimi, quod ad studia vestra recte atque utiliter persequenda profuturum credam, ab illius nuper collegae nostri recordatione repetam. Nam eruditio, quo uno nomine omnes quas in homine litterato sitas esse virtutes oportet intelligimus, quum his tribus rebus continueatur, doctrina, ingenio, liberali cultu: harum nulla est, quae in Chr. D. Beckio non fuerit eximia ac plane singularis. Atque ut singula paucis at-

tingam, historiarum ille omnis aevi immensum ambitum ita erat memoria, qua tenacissima utebatur, complexus, ut non solum res gestas populorum, institutaque gentium antiqua et nova, sed etiam litteras litterarumque incrementa variamque fortunam teneret atque in numero haberet: quid autem de illo genere dicam, quod vel solum infiniti laboris est, quod in ecclesiae christianae litibus et disceptationibus versatur? linguarum denique illarum, a quibus munus, quoungebatur, nomen habet, quanta in eo quamque accurata fuit scientia: et tamen non in his solis eius industria sese continuit, sed penetravit etiam in orientis litteras linguasque, ut praeteream vivarum cognitionem linguarum, a quibus nemo doctior apud nos facile abhorret. Ingenium vero ad illa omnia tam sollers, iudiciumque tam promptum, tam rectum, tam acutum afferebat, ut quarumlibet rerum causas atque rationes et celerrime et verissime perspiceret, neque, etiamsi quid difficillimum atque impeditissimum videretur, non inveniret aptam et commodam viam, qua labendi proclivitates caute evitaret. Ornabat ille denique has virtutes etiam eo humanitatis cultu, ut nihil non et cum dignitate illa, quae studiis litterarum consentanea est, et cum decore atque adeo elegantia quadam atque urbanitate ageret, longeque ab se sperneret istam rudem ferociam morumque rusticitatem, qua nonnulli hominum doctorum, dum admirationem se consequuturos sperant, vix imperitum vulgus in stuporem coniiciunt, ab eruditis autem nihil nisi contemptum stoliditatis suae reportant. Talis igitur quum esset Beckius, iure eum, candidati optimi, pro exemplo habebitis, cuius semper sitis memores, in quod intueamini, quod imitemini, quod aemulari studea-

tis. Sed tamen sic id agere debebitis, ut simul cogitetis, hanc ipsam viri eximii incredibilem industriam nonnihil obstitisse, quo minus, quum maximam sit claritatem adeptus, assequutus sit etiam maiorem famam nominis: potuerat enim, ut viribus iis omnibus instructissimus, quibus ad id opus erat. Aestimate enim ipsi, qui tot artibus excelluit, tot tanque variis in partibus doctrinarum egregius fuit, quantus is quamque immortalis esset, si uni paucisve ex illis doctrinis se totum dedisset, viresque illas et indolem ingenii non dispersisset et distraxisset tanta rerum diversissimarum copia, sed contulisset in unum locum et quasi conglobasset ad promovendam unam ex illis molibus, quibus vel protrudendis vel repellendis novae in litteris viae per avia prius atque inaccessa aperiuntur. Atque est hoc quidem animi generosa indole praediti, mente et scientia quam quis possit plurima studere amplecti, quo ne peregrinus in hoc mundo, sed civis esse videatur: verum quum omnia exhaurire tantopere vel virium humanarum modum vel vitae breve spatium excedat, ut vix uno aliquo in genere litterarum artiumve cuncta, quibus eius natura ratioque contineatur, liceat pervestigando comprehendere, illud in primis curandum est, ut aliquod quis quasi domicilium habeat, quod iure suum dicere in eoque regnare possit, nec tanquam hospes propriae sedis expers vagetur per alienas domos, notus quidem ubique, et fortassis etiam acceptus, sed nusquam dominus et iure suo possessor. Cogitare enim oportet, discendo cognoscendoque illud acquiri, ut, quid alii industria sua ex tenebris in lucem protraxerint, quoque in statu nunc sit doctrinarum scientia et ratio, tencamus: sed nisi fuissent illi,



quorum id studio est et labore effectum, ignoraturos nos fuisse illa ipsa, quae didicisse nobis contigerit. Quod si cuiusque hominis litterati officium est, pro virili parte operam dare, ut novis augeatur incrementis rerum scientia, quaeque adhuc non reperta, non cognita, non intellecta latent, inveniantur, discantur, perspiciantur: in tam immensa rerum discendarum varietate tamque inexhausta materia non alia patet via, qua quis ipse aliquid conferre ad communem utilitatem possit, quam ut uno aliquo in genere unaque in re studia sua coarctet, viresque intendat animi, ut, cognita eius rei natura, altius atque altius in eam penetret, vestigandoque ultra, quam ante se factum sit, perficiat inchoata, corrigat vitiosa, stabiliat dubia, illustret obscura, proferat latentia. Deterreant quidem fortasse aliquem tum difficultates et magnitudo laboris, tum exempla virorum doctrina ingenioque excellentium, quos se non modo superare, sed ne aemulari quidem aut ex longinquo sequi posse existimet: at reprimere ardua non est erecti generosique animi, quem alliciunt potius atque excitant ea, quae vitium requirunt contentionem maiorem quamdam, quam cui quis se parem fore speret. Nulla est autem pars, nullum genus scientiae, in quo non, qui naviter elaborare voluerit, permulta sit inventurus, quae agenda reliquerit superior aetas. Ipsa illa doctrinarum omnium princeps, quam mathesin vocant, cuius aeternae sunt et immutabiles leges, cuius haec plane incomparabilis virtus est, quod errorem omnem ab se segregat, et, quidquid novi in lucem profert, id etiam verum esse admirabili illa numerorum ratione evincat, quae tam divinum quid esse non immerito visa est Pythagorae, numeros

ille ut rerum omnium esse principia et quasi semina, ex quibus composita esset universa mundi machina, censeret; Plato autem, in mente humana infixas esse arithmeticae et geometriae rationes intelligens, recordando memoriam earum, quae sopita in animo iaceret, quasi ex somno suscitari ostenderet: ac tametsi hanc doctrinam ab tot summis ingeniis ad incredibile quoddam fastigium evectam videmus, tamen, quo ad obscuriores eius oras accedi, quo subtiliores et implicationes eius rationes enodari cernimus, eo minus dubitari potest, quin haec quoque scientia non secus, quam ipsa rerum natura infinita sit, idque non solum quum adhibetur ad siderum meatus explorandos aut corporum magnitudines viresque metiendas, sed etiam quum ipsa per se spectatur, legumque eius multiplex explicatur varietas. Quae autem ei coniunctissima est, physicorum ars et scientia, a quam parvis quamque tenuibus profecta initiis ad quem vastum extensa est ambitum, quamque non dicam quotannis, sed pene quotidie sollertium virorum indefessa opera ingeniosisque artificiis nova rerum elementa, novas naturae virium cognitiones atque affinitates, novas et inopinatas causas atque effectiones aperit et clara in luce conspiciendas exponit, ita ut hic, in quo vivimus, orbis terrarum indies magis pateat, et iam non ea tantum, quae oculis intuemur, rectius videamur cognoscere, sed illud quoque mente assequamur, quae multis ante humanum genus seculis facies et quasi vita fuerit huius globi, cuius recentem et nuper demum ortam incolimus superficiem. Tum illa, quam historiam naturalem vocant, ex rudi indigestaque congerie ita est expansa, expanditurque perpetuo latius tum inquirendo in metallo-

rum, germinum, animalium naturam, tum adeundo ad ignotas adhuc oras, ut iam non temere comportatam rerum multitudinem et varietatem, sed descriptam in classes et ordines, mirificoque inter se nexu copulatam habeamus, et magis magisque ad aliquam perfectionis speciem adducamus. Non minus rerum ab genere humano publice privatimque gestarum historia tantam experta est pervestigationis industriam, ut, quocumque quis oculos coniciat, pene magis quam multa nondum cognoverimus, quam quid sciamus, . appareat. Nam quum vel eorum, quae hodie atque adeo nobis inspectantibus aguntur, pleraque ambigua sint atque incerta, quanto obscuriora esse necesse est, quae multis ante nos seculis gesta vel monumentorum penuria aut depravatione, vel testium dubia fide, vel inanium commentorum fama, vel barbari aevi oblivione sic obscurata et perturbata sunt, ut vera a falsis internoscere labor sit difficillimus. Accedit, quod, qui explicare ista atque expedire conati sunt, quorum nostra potissimum aetas non paucos tulit eximios viros, dum iure increduli veteres fabulas spernebant, iudicii acumine errores quidem inveteratos expulerunt permultos, plurimarumque rerum veritatem stabiliverunt certissime, sed iidem etiam audacia coniectandi non pauca, quae sibi vera videbantur, ita exornarunt, ut novos pepererint errores, laboremque eorum, qui deinceps eadem vellent attingere, simul adiuverint, simul autem etiam auxerint. Magnum etiam et laudabile studium impensum est in linguas veterum populorum, multoque illud sanius et re illa dignius, quam quo non ita pridem illi ipsi, qui toti se huic negotio dederant, consueverant procedere. Nec profecto hoc studium vile aut leve est putandum.

Quid enim divinius concessum est hominibus, quam lingua, quae verbis notare et comprehendere rerum notitias possit, solaque id efficiat, ut non solum cogitata communicare inter nos, sed ipsum illud possimus, cogitare, id est, per signa quaedam retinere notiones rerum, comparare inter se, distinguere, explicare, omnesque in formas vertere, quibus infinitam illam multitudinem ac varietatem et rerum cogitatarum et sensuum atque affectionum significemus et declaremus. Est enim lingua effigies animi, quam quo attentius contemplamur, quoque accuratius eius formas rationesque persequimur, eo maiore perfundimur admiratione, quod nullo magistro, sed naturali quodam instinctu ipsa sibi mens paullatim illam artificiosissimam machinam creavit, in qua, tamquam in speculo, vel tenuissima lineamenta sententiarum repraesentarentur. Eam diligenter perquisitam habere, causasque eius et rationes perspexisse, quasque mutationes vel temporum cursu vel dicendi variis consiliis vel animorum atque ingeniorum diversitate contraxerit, cognovisse, id demum est linguae vim et usum tenere. In quo genere hodie si multum profecimus comparatione diversarum inter se linguarum, tamen etiam non nihil turbari animadvertimus, quum non omnes, qui illa in re sibi placeant, satis accuratam sibi paraverint linguarum, quarum aliam ex alia explicare student, cognitionem. Nam saepe prorsus ignorare aliquid melius est, quam parum recte didicisse: quod alterum horum non affert opportunitatem cognoscendi, alterum, profectum ab errore, non potest non gignere errorem. Quid dicam denique de philosophia, quae, quum sit animi mentisque perscrutatio, indagatioque fontium omnis scientiae, per viros quosdam divino praeditos

ingenio adducta quidem eo est, ut iam, unde petenda sit, compertum habeamus, sed, quoniam animi humani tam profundi sunt atque obscuri recessus, in eos ut omnium minime illud lumen videatur immitti posse, quo imus eius fundus collastrari penitus, animusque simul et cernere sese et ab se cerni queat, multum illuc penetrare conantur, quasi vertigine quadam correpti, vana in somnia incidunt, suisque ipsi laqueis capti delirare incipiunt, ut nec se ipsi intelligant, neque intelligantur ab aliis. Apertum est autem, quoniam philosophiae usu quum in omni genere scientiae, tum iis maxime in rebus opus est, quibus vitae rationes gubernantur, quam salutaris est philosophia, si sobrie, recte, clare, perspicue causas investigat, tam eandem perniciosam esse, si, vanae imaginationis lusibus indulgens vel lymphatae mentis quodam furore acta, modo religionibus animos et superstitione implet, modo iura populorum, commoda gentium, leges civitatum, institutionem cultumque universi generis humani, artes denique et doctrinas omnes temere fingit ac refingit.

Commemoravi eas doctrinas, candidati humanissimi, quae nostri potissimum ordinis, cuius honoribus mox ornabimini, propriae sunt, ut videretis, nullam earum esse, in qua non plurimae propositae sint bene merendi novaeque laudis reportandae occasiones. Quare si, uti decet, ipsi quoque aliquid conferre ad utilitatem atque incrementum doctrinarum cupitis, illud animo reputate et tenete firmiter, eligere sibi quemque debere unam aliquam materiam, in quam totus incumbat in eaque quasi domicilium ponat suum. Nam in eo demum, quod quis penitus cognitum habeat, ita elaborabit, ut fructus laboris ad eam rem ipsam redundet, simulque hoc lucri fa-

ciet, ut, suis viribus confusus, quippe suo in regno, illud ipsum discat, laborare utiliter. Apertum est autem, eum, qui sic sibi quasi arcem quamdam communiverit, quoniam mutuis vinculis omnes inter se colligatae sunt doctrinae, ipsa tuendi quem tenet locum necessitate admoneri, ut auxilium petat a coniunctis artibus, eaque re latius paullatim ac latius proferat regni sui fines. Sponte vero intelligitis, hanc demum optimam esse et certissimam viam, si quis vere et ipse proficere in litteris, et litterae facere ut sua opera incrementum capiant, velit. Nam quae eo dumtaxat consilio discimus, ut ne ignorare videamur, nec satis firmiter inhaerent animo, nec levitate carent illa, quae coniuncta est cum omni scientia, cuius nec necessitatem nec certum usum videmus: quod contra, quum quid agimus propositi cuiusdam perficiendi caussa, non solum studiosius ei rei impendimus operam, sed quaerimus etiam, et quid adiumenti nobis opus sit, et eo qua ratione uti oporteat, ut, quo volumus, perveniamus: quo fit, ut, dum omnia ad illud propositum referimus deliberatoque ea consilio aggredimur, singula accuratius consideremus, memoriae firmitus imprimamus, multumque tractando et versando rectius cognoscamus, perspiciamusque penitus. Hoc modo autem eo pervenitur, ut, etsi unum sit illud, quod quis praecipue tractet et in quo se excellere cupiat, tamen non spernat caetera, neque ab iis abhorreat, sed potius dignitatem omnium parem esse fateatur, sibi autem ex singulis ea decerpat, quae suis sint studiis profutura. Hac via qui incedunt, simul indecoram illam levitatem effugiunt, quae, omnia obiter attigisse contenta, nihil autem penitus cognitum habens, eruditionis quamdam elegantisque cultus speciem affe-

ctat, simul immunes manent ab sordida illiberalitate illorum, qui, nimis angusto in orbe conclusi, eius unius rei, quam ipsi sibi tractandam sumpserunt, tantum esse pretium existimant, ut caetera contemnant, hoc uno autem in genere qui minus versatus sit, eum indoctum atque adeo stultum esse dicunt. Verissimum est illud vetus dictum, *quam quisque norit artem, in hac se exerceat*, cui qui recte parent, sic id faciunt, ut, locum in quo ipsi firmo pede consistant sibi legentes, neque impediant alios, quominus illi alibi idem sibi iuris sumant, neque nihil velint cum iis commercii habere, sed potius, quemadmodum civitates sic demum florent, si singulae civium classes sua negotia recte et cum caeterarum classium emolumento agunt, ita etiam litterarum studia quadam quasi civitate contineri censeant, in qua coniunctis multorum, sed suo cuiusque in genere, studiis universus ille eruditionis scientiaeque campus colatur, conseratur, frugesque ferat. Ea igitur demum iure dici respublica litteraria potest, in qua suis quisque partibus recte et naviter fungitur, non ut hostis aut adversarius aut contemptor eorum, quorum alia officia sunt, sed ut amicus, ut adiutor, ut laudator eorum, quae quisque recte et uti communis utilitas postulat, agit atque administrat. Id ergo, optimi candidati, tenete animo, neque umquam excidere vobis patimini, ut aliquam vobis veluti domum illa in republica comparetis, quae vestra sit, quam propriam habeatis, in qua dominemini, qua exaedificanda et percolenda vobis decus, ornamentum, laudem, communi autem hominum litteratorum societati adiumentum, utilitatem, prosperitatem paretis. Sic illud consequemini, ut

nec vosmet ipsos vixisse poeniteat, et fuisse vos ac vixisse grata olim recordetur posteritas.

## AUGUSTI BOECKH

ORATIO, IN DEDICATIONE UNIVERSITATIS LITTERARIAE BEROLINENSIS HABITA. \*)

Quam rem longo ex tempore votis flagrantissimis expetiveramus et desiderio summo exspectaveramus, auditores ornatissimi, ea res in oculis nostris per homines amplissimos nunc ipsum acta precor a Deo O. M. ut scholae nostrae et reipublicae universae fauste, feliciter prospereque eveniat. Tanta est enim actus huius gravitas, tanta legis nobis traditae vis ac potestas, ut, si ille bene et cum divina ope perfectus sit, si haec numquam non religiose observetur ac retineatur, universitas nostra litterarum sit firmiter constituta, et tamdiu illaesa mansura, quamdiu rerum humanarum omnium fluxa et fragilis conditio patitur: si memoria huius diei aboleverit, aut lex sanctissima negligatur, perfringatur, evertatur, tum demum rerum nostrarum salus in discrimine versetur. Quodsi Deo praesente haec lex sancita est, non poterit sine Deo rescindi. Dedicator hodie litteris sedes, quae septem annis inter varias vicissitudines locum tutata experimentum sui dedit: quo die ego huc vocatus, ut, quod mihi ex re videretur, paucis dissererem, simul ut Regi augusto beneficii in nos collati grates agerem, quamquam mihi

\*) d. 26. m. Apr. a. 1817 et edita eod. a. Berolini.



tempus perexiguum concessum et quasi ad aquam dicendum est, ad sollemnium dignitatem argumenti praestantia aliqua ex parte studens accedere, religioni duco de re ulla dicere, quam de ipsa instituti gravissimi ratione, qui finis, quod ingenium sit doctrinae disciplinaeque academicae, quid Rex sapientissimus in schola hac artium condenda maxime spectasse videatur, denique quid nobis factum et posthac faciendum sit, quo studii litterarum indoli voluntatique regiae optime respondeamus. Et primum ne exponam, quibus initiis causisque, postquam labe temporum et ruina civitatum, ingruente paullatim tyrannide funesta, qua non modo corpora, sed animi ipsi vincti et constricti tenebantur, mox populorum barbarorum incursionibus litterarum apud veteres flos laetissimus extinctus erat, universitates scholarum, ut Britannos omittam, in Gallia Italiaeque ac deinceps in Germania extiterint renatisque litteris incrementa ceperint, caliginem mentibus dispulerint, religionis purioris fontes aperuerint lucemque disseminarint, postremo doctrinas plurimas sedulo excoluerint: neminem mihi arbitror adversarium fore, si nostra aetate universitates dixerim scholas potissimas aut esse aut esse debere, in quibus, ut parentes ad liberos vitam, sic eruditionem solidam et scientiam, pro seculi cuiusque habitu quantum fieri potest absolutam, doctores in suo genere perfecti ad progeniem adolescentem propagent. Quam vero scientiam dico, non in experientia extrinsecus petita et cognitione varia rerum adspectabilium aut sensibus subiectarum, non in rerum gestarum et placitorum notitia tradita, non in memoriae viribus vel acuminis artificiis quibuscunque ac sollertia ponendam arbitror; sed quamquam genus humanum

absque sensuum adminiculo et ministerio gerere nihil potest, tamen scientia in ratione versatur, rerum universarum notiones purissimas tenente, quae, simplex et immortalis et aeterna, caduco hoc corporis domicilio utitur, donec vinculis laxatis et carcere effracto ad sanctissimum illum, unde profecta est, sapientiae fontem revehatur. Est certe, est divinum quiddam in mentibus hominum, quod, corporeae naturae nebulis obumbratum et inertia consopitum, excitari atque explicari debet, ut pulchritudine insita splendeat partesque animi tenebricosas illustret. Haec vis divina potest mortales in summo sapientiae gradu collocare: haec dux virtutis, haec vitae gubernatrix: huc est, quidquid agimus, dirigendum. Recte igitur liberalissimus quisque haud alium scientiae finem statuit praeter scientiam ipsam, qua neque maius quidquam nec divinis invenire possis: illa vero ab opificiis artibusque quaestuosis hac ipsa re immane quantum seiuncta et segregata est, quod finem summum in sese repositum habet, quod singulas res quaslibet ab origine communi repetit et a primis initiis suspendit, denique quod, nec sensuum iudicio neque opinionationibus decepta, causas rerum remotissimas mentis et intellectus perspicacitate scrutatur. Quapropter istos merito contemnimus nec vere eruditos iudicamus, qui aut dignitatem doctrinarum unice ex usu vitae quotidianae existimant, aut panis et parandi victus causa litteris operam dant, aut, interiore cognitione neglecta, res vulgares, quas oculis spectes digitisque contingas, quasi per manus tradunt, altioremque omnem et paullo abstrusorem naturae seu divinae sive humanae indagationem non solum vanam censent, verum etiam reddere suspe-

ctam conantur. Quae quum ita sint, satis patet, quae mea sententia institutionis academicae esse debeat ratio. Etenim genuina omnis cultura animi ab auditione philosophorum inchoanda est, qui viam philosophandi, doctrinam moralem et naturalem, mathematica, litteras humanitatis et historiam tradunt: quibus tractandis mentes iuvenum tum ab illiberali studiorum ineundorum more, quem haud pauci sectantur, abducuntur optime, tum iis imbuuntur notionibus, quibus cetera omnia fundantur ac continentur. Deinde disciplina nulla ita aut docenda aut discenda est, ut materiam rudem et indigestam, neque ordine legitimo dispositam nec luminibus sententiarum illustratam, nec praeceptis ex uno fonte derivatis discipuli a doctore accipiant et memoria condant: neque in rebus communibus acquiescendum, quas nulla aut levissima contentione animi perspicias, sed accendendae et exercendae mentes sunt, ut, ardentissimam scientiae sitim explere cupientes, in cognitionem profundam penitus ingurgitentur, mox nullius ante solo trita litterarum adyta accedere et sapere nullo duce audeant. Praeterea quoniam ea hominibus natura insita est, ut ingenio libenter abutantur, et doctrinam ipsam in quaestum vertere, pro privatis commodis vel in gratiam potentum torquere, sententias huc et illuc versare, postremo ambitione prava deteriorem rationem meliorem facere ament: doctori religioso nihil prius prospiciendum est, quam ut exemplo et alloquiis sensum veri et boni in teneris animis acuat corroboretque, eosque a simulatione, arrogantia, cupiditate, lucro procul avertat. Sed iam eo me delatum video, auditores, quod devitare maxime studebam, qui inciderim in argumen-

tu<sup>m</sup> tam<sup>q</sup> amplum, tam copiosum, quod si persequerem, et multa mihi dicenda forent, quas vobis, praeceptoribus praestantissimis, contrita et obsoleta essent, et si plurima et gravissima dixissem, tamen nec pauciora nec minora viderer omisisse. Igitur ne scopulo hoc impingar, revoco me a cursu et vela contraho. At dicet aliquis: tu quidem litteras ab omni vitae ac negotiorum communione quam longissime revocas atque in otium ignavum relegas: ut bonas, ut decoras proposueris; ita utilitatem nullam, praesertim publicam, commonstras: hoc certe loco et hoc ipso die nec caute satis et parum accommodate. Ego vero ne dulcedinem Musarum edisseram, quam sexcenti decantant et adhuc decantant, primum eruditionem germanam virtutis esse magistram, et animi tranquillitatis effectricem validissimam contendo, a perniciosa ista opinione, quae prohibitatem a scientia seiungit, immenso intervallo dissitus. Nam litterae recte cultae vanas rerum imagines erroresque, quibus vitia originem debent, profligant et exstirpant: a curis sordidis abstractos in rerum optimarum et immutabilium contemplatione constituunt; remotos a sollicitudinibus ad sacrorum divinorum fontes limpidissimos deducant, ex quibus solis, quid pulchrum sit, quid honestum, quid homine immortalis dignum, plenissime haurias: hinc parantur opes, quae neque furto eripi, neque incendio deleri, nec casibus ullis absumi queant; hinc fides, iustitia, temperantia; hinc viri graves et constantes, qui, quod fortunam spernere didicerunt, rebus adversis inconcussi, dominorum imperiis impavidi, nulla vi ac ne mortis quidem metu intento subiguntur, ut a proposito decedant. Quorum si nostro seculo copia exigua re-

perta est, si humiles, timidos, ambitiosos, tyrannorum assentatores vidimus haud paucos, istos ex litterarum studio fructum optimum non percepisse, sed flosculos quosdam doctrinae aridos et steriles decerpere existimo. Nam, ut uno verbo dicam quod sentio, haec mihi litterarum laus praestantissima et utilitas summa videtur, quod libertatem animi afferunt, qua summa generis humani bona continentur. Illam autem doctorum academicorum est in adolescentibus ingenuis excitare, ut servitus longe indignissima, qua mentes captae sunt, excutiat, ut vita humana emendetur, ut diffugiat superstitio, religio confirmetur: quod non proprium philosophiae esse, sed a theologis iurisque peritis et medicis aequè fieri posse et debere, non est quod exponam. Quemadmodum vero litterae libertatem summam parant, ita, si ipsis libertatem eripias et formulis certis praeceptores adstringas, generi humano oculum excideris: silebunt Musae servitii impatientes; magna ingenia cessabunt: sed adulatio prorumpet; pro sapiente stultitia, postremo scelus pro virtute principatum tenebit. Et litterarum quidem flos ac libertas nulla re magis adiuvatur, quam coniunctione hac doctrinarum, quae in universitatibus nostris proposita est, ubi, altera alterius fructu gaudentes, omnes a communi philosophiae luce illustrantur, nexuque illo et cognatione, quae inter omnes intercedit, vigent: quodsi unus animus est litterarum, uno corpore optime continentur. Igitur hostis generis humani, ut litteras, ut libertatem animorum sibi periculosam opprimeret, non solum doctores disciplina rigida cohibuit, verum etiam, ut dividendo imperaret, philosophiam, theologiam, iuris doctrinam, artem medicam voluit

seiunctas esse, sicuti opificium textorium a sutorio aut fabrili divisum est; hinc universitatem litterarum in scholas singulas locis separatas dispersit, artesque quasi in insulas seposuit: qui nunc ipse saxo Oceani consenescit. Porro, quoniam minimi iuvenum ad libertatem emergunt difficilius, si, quidquid discendum et agendum est, imperatur, et vita universa metu magistri cohibetur: in Germania universitatibus scholarum libertatem etiam vendi quandam, quam academicam vocare solent varieque atque interdum deterius interpretantur, concessam videmus: sibi quisque, cui se doctrinae applicet, quo mentem alat, quam sectam vitae instituat, eligit: pro obsequio militari, quod idem ille tyrannus Corsus adolescentibus studiosis iniunxerat, paternis consiliis imperioque iurisdictionis auctoritate confirmato reguntur: denique nos parentum loco sumus; vos, commilitones carissimi, non tam discipuli quam familiares ac liberi, qui, ut a libertate nomen invenerunt, sic debent liberaliter haberi. Sed licentia comprimenda: si fieri potest, admonitione et hortatu; sin minus, articuli tumidi vel tabe insanabili affecti ferro resecandi sunt. Iam ita instituti et exculti ubi ad rempublicam artesque honestas exercendas accesseritis, fructus eruditionis per vos sunt spargendi et in beatitudinem quum civitatis ipsius tum singulorum proferendi: libertas animorum, quam bona respublica maximi facit, quod sine illa ne civilis quidem retineri potest, disseminanda; numinis cultus genuinus promovendus; dotes animi, cui vires corporis serviunt, explicandae; propaganda iustitia, aequitas, virtus universa; miseria generis humani, inscitia, inopia, imbecillitas corporum, vis morborum

aut propulsandae aut levandae. Ex vobis, etiam bellica nuper gloria insignibus, iam pacis ornamenta petentur. In quibus negotiis utilissimis utinam ne a recto itinere, quo, nisi me omnia fallunt, contendere penitus imbibistis, deflectatis unquam; commilitones; utinam ne exhortationis nostrae immemorem ambitio, avaritia, malae artes transversum quemquam agant. Nolite oblivisci, quod homo, non in umbratili vitae genere educatus, non rerum gerendarum imperitus, sed rempublicam et fortunae vicissitudines expertus, quod Tullius aetatem exercitam et occupationibus deditam emensus dicit: „Est unus dies bene et ex praeceptis philosophiae actus peccanti immortalitati anteponendus.“

Sed Regem sapientissimum, quum artium sedem, quae hodie dedicatur, conderet munifice et supellectile sat ampla instrueret, accepimus nihil aliud propositum habuisse, quam ut, viribus armorum fractis et comminutis, imperii finibus dimidio angustioribus, republica hosti atrocissimo obnoxia malisque innumeris vexata et afflicta, animi vires, quibus omnia vincuntur, excitaret, confirmaret, corroboraret: quo quid prudentius, quid liberalius, quid rege magis dignum excogitari potest? Quem finem quum nos spectaremus, fere eo operam nostram direximus, quo esse dirigendam modo paullo ante exposui: ne iuvenes curae nostrae commissi artes bonas loco opificiorum quaestus causa exercendorum haberent; ut ad cognitionem sublimem erigerentur; ut generosa consilia caperent alerentque; ut pietate, caritate patriae, legum verecundia imbuerentur; ut et modesti, et, ubi opus est, fortes essent; denique ut in suo genere quisque talis esset, qua-

lem esse debere significavi. Ac favit coeptis fortuna; disciplina nostra vel primis annis iuventutem frequentem allexit: qui bello mox avvocati virtutem suam facinoribus egregiis comprobarunt. Illorum pars maxima fama nunc fruitur; ad quadraginta in proeliis aut laborum vulnerumque vi mortem honestam obierunt, quibus vos quotannis decore summo inferias fertis, nos tandem aliquando monumentum excitabimus, quo exemplum praeclarum posteritati tradatur. Neque illos solos lugemus: non vident diem hunc faustissimum Willdenowius, Fichtius, Reilius, Klaprothius: haec lumina litterarum, quorum nomen per ora hominum volat, memoria pectoribus nostris consignata est, invidit nobis fortuna, vel ipsis hunc diem. At quamdiu res publica ab alieno arbitrio pendebat, precariam inter hostes animam ducebamus: quum Germanorum libertas inchoata est, tum demum res nostrae sunt securitatem nactae. Igitur bellis exactis laetius effloruerunt, nec metuendum est, ne concidant, dum hoc rege gaudemus, litterarum bonarum libertatisque et honestatis vindice et conservatore constantissimo; dum tu nobis praees, vir excellentissime, consiliorum regionum minister, qui cura tam benigna et prudenti scholam nostram tutaris ac protegis; dum nosmet ipsi et vos, commilitones, in officio erimus. Scio, quaedam nobis obstare, quae, si velim, dicere possum: nec vereor offensionem, quum inter nos dicam, et simulationem omnem ab oratoris dignitate procul habeo: sed nolo hoc die quidquam gravius tristiusve dicere. Eruditio quidem nostra nemini obest; et in urbe regia litteras habitare et urbi et litteris conducit: urbi, ne docti censeantur, qui indocti sunt; litteris, ne lateant.



Num vero vires animi rebus pacatis minus valent, quam turbidis? num imperio restituto inutiles consopiri debent? Immo acrius intendendae et exercendae ipsae sunt. Quid enim? Nonne respublica cas plurimas pace languida torpuisse et segnitia esse labefactatas scimus? Quod ne accadat, est civitatibus cavendum maxime. Itaque ut Domini nostri clementissimi consiliis, quae mihi videor rectissime interpretari, satisfaciamus, viam, quam ingressi sumus, sedulo debemus persequi, et quibus artibus Borussia semper eminuit, ac Friderici Magni, libertatem animorum insigniter tuentis, exemplum illustre sibi ante oculos proponens, posthac eminebit, earum luce patriam illuminare civiumque felicitatem adjuvare. Vos autem, commilitones, quam legibus obedientiam, quam litteris industriam hucusque praestitistis, porro praestate. Quae si hodie religiosissime pollicitamur, gratiarum actionem Regi optimo gratissimam esse factam arbitror.

Quod autem pignus carissimum voluntatis regiae per manus viri eximii traditum accepimus, id superest ut videamus quomodo traditum sit. Quam rem ingressurum haud abs re fuerit memoriam temporum explicare, quo intelligatur, quibus maiores caerimoniis scholas ut templa, ut urbes, ut colonias inauguraverint, et quo opposita iuxta se posita magis illucescant. Itaque, ne peregrina consector, ex familia nunc regia Fridericus tertius Elector, qui mox primus rex Borussiae extitit, Regis nostri avus, principum novissimus est, qui universitatem litterarum condiderit: cuius dedicationem quadriennio post Chr. Cellarius iussu principis in litteras retulit, ut, quibus curis et studio quanto academia Halensis inchoata et perfecta esset, apud posteros

constaret. Quae dum lego, obstupui; nec possum, quin inde quaedam depromam: quodsi vellem omnia pro rerum magnificentia exponere, diem dicendo absumerem. Nam postquam Elector, etsi bello omnia personabant, convocatis magistris compluribus, ex equestri ludo, quem parens Halae condiderat, agitatam olim Alberti cardinalis mente academiam instituit: quum ex aquis Carolinis Berolinum redux ad Halensem urbem pervenisset, miratus numerum adolescentum sibi per officium obviorum, consilio maturato privilegiisque Caesareis impetratis, quod nihil iam operi novo deesse videbatur, quam ritus sollemnis et religio consecrationis, apparari iussit, quibus splendide inauguraretur. Cal. Iuliis, ipsis principis natalibus, academiam Fridericianam more antiquo dedicatum iri edicto lingua utraque proposito divulgatum est, additis causis, quae principem ad novam artibus sedem statuendam impulissent, locique opportunitate commendata: Ordines Magdeburgici, quorum posthac eximia in schola et dedicanda et conservanda liberalitas fuit, litteris singularibus admoniti: ceterae universitates Brandenburgicae a concilio professorum invitatae, ut mitterent qui conditori gratarentur, scholae recens natae bene precarentur. Porta triumphalis a studiosis exstructa, ornatu eleganti, cum statuis, insignibus, tabulis, inscriptionibus. Die appropinquante, confluentibus undique sollemnum spectatoribus testibusque, ex vicinis maxime academiis, praemissi ex aula, qui apparatus et pompam militarem instruerent. Tum Elector una cum lectissimis ministrorum, ex quibus Paul. Fuchsius, oratorem principis, Ludolph. et Everard. Dankelmannos, et insigne illud litterarum decus Ez.

Spanhemium nomino, et cum Ordinibus provinciae inter aeris campani sonitus et tormentorum Magdeburgo advectorum tonitrua musicosque concentus splendido agmine urbem ingressuro obviam fuerunt equitatus iuvenum nobilium circiter centum et quinquaginta, strictis gladiis, ut, quae Cellarii verba sunt, aequae se a Martis quam ab Apollinis disciplina paratos comprobarent, et professores cum senatu urbano ac sacerdotibus. Die gaudiis peracto et nox laetitiae data principisque venerationi, symphoniacis concentibus Electori et Philippo Guilermo fratri ductis. Primus Iulii dies erat dominicus: summo mane sacra in templis peracta; post omnes spectaculo intenti. Et hora nona Elector ex palatio in collegium academiae vectus ibique a professoribus exceptus est: inde classibus decem distributum agmen immensum, eximie magnificentissimeque instructum, totidem praeceuntibus caduceatoribus duarum horarum spatio in templum arcis deductum est; cohors militum a fronte: alia agmen claudebat. Ibi dedicatio peracta, assidente in tribunali ornatissimo Electore cum fratre et ministris aulae primariis, comitibusque insignia portaturis ac professoribus decore amictis eorumque ductoribus: post sacra a Beniam. Ursino, concionatore principis facta, Paul. Fuchsius oratione facunda inter ritus varios, afferentibus, ut quaeque postulaverat, insignia comitibus, academiam inauguravit; prorectorem in cathedram vocatum purpura induit sceptrisque ornavit, privilegiis, clavibus, albo, sigillis traditis, insignibusque singulis apte explicatis. Dein sacramentum dictum: prorector gratias egit: campanarum sonus, fragor tormentorum caelum implebat. In foro nummi sparsi in dedicationis me-

moriam forma triplici percussi, et vinum fonte gemino plebeculae profusum, dum in templo numen venerantur. Post quae mille ducenti in palatio epulabantur, doctores ordinarii cum Electore et fratre legatoque Caesareo, alii cum comitibus et aulicis, et suis in tricliniis Ordines Magdeburgici; universe autem ad tria millia hominum illo die Electoris munificentia excepti. Postridie in aede Mariae doctores et magistri tres et quinquaginta creati sunt; digressoque postea principi in publicatione privilegiorum Chr. Cellarius iterum egit gratias. Nihil dico de libellis gratulatoriis, epistolis, carminibus.

Cuius igitur rei causa haec commemoravi? An ut comparatione sollemnium gravissimorum elevem haec nostra? An ut litterae nunc contemni et despici ex horum tenuitate videantur? Minime vero: neque enim sine summa iniuria dici quidquam istiusmodi potest. Sed illa tum ex illius aetatis ingenio et more illorum hominum acta, neque inepta censenda sunt, quum sint pia et decora, nec tamquam unice recta suspicienda, quae a principe sint gesta ut bono et litterarum amantissimo, ita sumptuum et pompae haud dubie nimio. Nos quidem vidimus apparatus superbissimos brevi dilabi: res adversae modestiam docuerunt, rerumque veritatem specie inani potiore iudicare. Ac si qua species hodieque praetenditur: quamquam ne aula quidem tanta munera edit: certe a schola eruditionis ostentationem qualemcumque malueris abesse. Quocirca si excusatione ulla eget sollemnium horum simplicitas pura; habet in dignitate litterarum et sapientiae, habet in Domini nostri modestia singulari et ab omni fuce prorsus aliena, habet in viri excellentissimi,

qui res nostras curat, indole regiae mentis simillima. Deus illis conservet hanc rerum aestimationem rectam: Deus conservet Fridericum Guilelmum, patrem patriae, universitatis nostrae conditorem, cum domo Augusta universa, nobisque et reipublicae praestet perpetuum bonorum omnium auctorem et conservatorem.

---

**CAROLI GUILIELMI GOETTLING**  
**ORATIO DE NON MUTANDIS ACADEMIARUM**  
**GERMANIAE FORMIS.\*)**

---

Quae precari a deo immortali more institutoque maiorum is solet, qui, auspicato prorektor huius academiae renunciatus, publica oratione se ipse deinceps proclamare iubetur, ut ea res sibi magistratuique suo totique academiae bene atque feliciter eveniat: eadem ego hodie ab eodem deo immortali precor, ut per totum huius magistratus tempus tranquillitatem nobis afferat et concordiam. Atque eo maiore cum animi contentione hoc precor hodie, quo graviore nunc dissipantur rumores de necessitate funditus mutandi respublicas litterarias, quae Germaniam nostram auxerunt et nobilitarunt, et quarum incolumitati et saluti vota facere mos institutus hodie iubet. Iuvabit igitur in his tempo-

---

\*) Typis, ante quam ad me mitteretur ab auctore cl., non exscripta est haec oratio, habita in concione acad. lenensis d. 5. m. Aug. a. 1834.

ribus, quae ruinae rebus nostris minitari videntur, paucis enarrare, quibus initiis exortae sint universitates, quae deinde incrementa ceperint, quod praeclarum fastigium sint adeptae post longam mutationem temporis et fortunae, ut, quale sit illud, quod mutandum esse censerent, luculenter declaratur. Non enim hodie vel heri subito prorupere universitatum nostrarum instituta, sed paulatim XX fere saecula ita aluerunt et excoluerunt haec studia, ut cultissimae ac nobilissimae Europae gentes operam suam in hoc uno videantur coniunxisse. Videant igitur, qui de evertendis antiquis institutis cogitant, ne quid temere, ne quid crudeliter. Id enim est virorum magnorum, rebus agitatissimis punire sones, in omni tamen fortuna recta atque honesta retinere.

Originem universitatum nostrarum non temere nobis repetere videmur ab Athenis, omnium doctrinarum inventricibus, quamquam ibi una praecipue, sed laudatarum artium procreatrice, philosophia comprehendebantur studia; cui deinde ita se adiunxit eloquentia, ut legum ac iuris civilis scientiam amplecteretur. Ultro ibi surrexere doctores, non excitati a republica aut praemiis aut cohortatione, contra vero impediti saepius, accusati, imo damnati. Nihilominus tamen nusquam vehementius viguerunt omnium doctrinarum studia, ita ut Aegypti reges, quum cives suos omni Graeciae doctrina vellent imbuere, Athenis praecipue magistri arcessendi essent. Sic Alexandriae regum munificentia exortum est Museum, quod universitatum nostrarum imaginem ita repraesentaret, ut, quicquid artium doctrinarumque haberet Graecia, huc quasi ad aram convocaretur. Fovit ea aetas, praeter philosophiam et eloquentiam, poëticam, mathematicam, philolo-

giam, ita ut quaeque harum disciplinarum suam haberet cathedram a rege ipso constitutam. Creator totius universitatis erat pontifex maximus. Singula autem nunc praetermittere in animo est, quum, quid docuerint illi doctores, satis quidem constet, (et constat bene eos docuisse) sed prorsus ignotum sit, quae iura et doctorum fuerint et discentium. Non iniuria enim, si de vera republica litteraria dicitur, tanquam de collegio aut sodalitate, iura quaedam vel mores quosdam exspectamus, quibus constitutum collegium sit. Atque hoc ipsum in Graecia videmus Romanorum demum aetate, qui, si bonis artibus et litteris fere omnibus tantum cedunt Graecis, quantum maximum, tamen hos ipsos Graecos summa gravitate vitae superaverunt longissime. Graecia igitur, quanquam armis romanis debellata, tamen continuo in provinciae formam redacta est ita, ut, licet priscam amisisset libertatem, iuris iam romanum auctoritate et gravitate frueretur. Quae sane videtur quaedam certe compensatio fuisse libertatis, si compensari unquam potest libertatis iactura. Conspiciebatur enim hoc iuris romani beneficium inprimis in eo, quod corporum, collegiorum, societatum iura ne tetigerunt quidem Romani, imo vero auxerunt et corroborarunt, ut, dum formam civitatis mutant, singula sodalitia mira quadam liberalitate ornare viderentur, simulacrumque libertatis in singulis reliquisse, quum imaginem universam delevisset. Sic factum est, ut Athenis, quae politicam libertatem amiserant, reique publicae litterariae ibi conditae eam ob causam summam libertatem, ne dicam licentiam, tribuerent Imperatores, quod, quanquam ne unus quidem doctorum Atheniensium christianae religioni nomen dedisset, tamen

unicum illud esset seminarium doctrinae et litterarum. Atque his exortae initiis universitates nostrae vere imaginem coeperunt praebere civitatum litterariorum, paulatimque magis excultae; omnes fere formas politicarum civitatum ita induerunt, ut democraticas, oligarchicas, monarchicas, et mixtas universitates facile agnoscere nobis videamur. Democraticas autem universitates dico eas, quae sub Iuliano et Theodosio imperatoribus in Graecia flourerunt, inprimis Athenis; oligarchicas dico Italicas, in his praecipue Bononiam, monarchicas universitates Galliae, inprimis Parisiensem, mixtas Protestantium Germanicas. Mixtas autem dico ea significatione, quam usus Aristotelis confirmavit. Has igitur universitatum formas ita iuvabit paucis adumbrare, ut, facto a democraticis universitatibus initio, tandem perveniamus ad mixtas, quae omnium videntur esse optimae, ut, qui mutandas eas censeat, minime perspicere videatur naturam rei.

Atque *democraticarum* universitatum unum nobis exemplar esto urbs Athenarum. Huius universitatis imaginem Eunapius et Libanius Sophistae adumbraverunt, ex quibus ea hausimus, quae vobiscum, AA., communicabimus. Fuerunt eo tempore Athenis XIII professores ordinarii, qui, munere docendi publico fungentes, annuis salariis ornabantur. Sed hi neque ab Imperatore romano eligebantur, neque a professorum collegio cooptabantur, sed, simulac cathedra quaedam professoris vacaret, quam *thronum* magnifice dicebant Athenienses, incitabantur ex omnibus terris Sophistae (sic enim audiebant professores Athenienses), ut disputationibus publicis in theatro publico instituendis comprobarent facultatem docendi. His rite



peractis, cives Athenienses selecti, professores omnes et discipuli omnes conveniebant et suffragiis suis, quae prorsus erant aequalia, novum praectorem elegerunt porrectis manibus; χειροτονεῖν verbo utitur in hac re Eunapius. Plerumque tamen suffragia discipulorum superabant ceterorum suffragia, ita ut electio professorum fere in manibus esset discipulorum. Hanc rationem eligendi dico esse democraticam. Praeter ordinarios autem professores (hi enim dicebantur οἱ δυνατώτεροι σοφισταί, seu doctores maiorum gentium) Athenis docebant extraordinarii quidam (οἱ ἐντελεῖς σοφισταί), quorum nec definitus numerus esset nec praescripta electio. Quemadmodum igitur, dum liberae essent Athenae, magistratus eligebantur omnium civium suffragiis, sic in his litterariis civitatibus professores. Sed etiam in ceteris rebus civitatis antiquae simulacrum in hac universitate litterarum agnoscas. Ut antiquae civitates secundum varias nationes, quae una condiderant novam civitatem, in plures dividebantur tribus seu phylas: sic item factum est in universitate Atheniensi de auditoribus. Ut Romani, ex Latinis, Sabinis et Etruscis orti, tres habebant tribus, sic cives in universitate Atheniensi secundum patriam dividebantur in στάσεις seu χοροὺς plures, (factiones dicas latine), quarum una erat Atheniensis, alia Orientalis, alia Arabica, alia Scythica, alia Pontica. Factio quaeque suum sibi tribunum seu seniorem (προστάτην τοῦ χοροῦ) aut ex professoribus aut ex ipsis commilitonibus eligebat, ut res suas omnino administraret et praesset studiis singulorum litterariis et gymnasticis. Si quid commisissent singuli, iudicium ad omnes pertinebat,

ant itum est ad arbitros electos a litigantibus. Si neque ita lis posset componi, et ad arma adeo singuli raperentur, praetor romanus, qui Corinthi sedem habebat et quasi curator universitatis Atheniensis haberi potest, sontes ad se ductos secundum ius romanum puniebat.

Hac autem democratia litteraria quid effectum est, AA.? Doctores, qui a discipulis suis eligebantur, toti pendebant ex circulorum seu chororum istorum nutu atque applausu. Cui contigisset, ut tribunos quosdam seu seniores sibi conciliaret, eum audiebat multitudo. Quin saepius factum est, ut chori singulos studii causa adventantes, si ex Sunio promontorio conspexissent navigia (ibi enim quasi excubiae erant studiosorum Atheniensium), factum est igitur, ut adventantes cogerent, non eum professorem audire, cuius causa venissent Athenas, sed eum, quem ipsi vellent chori. Huius moris mirum exemplum est ipse Libanius sophista, cui, Antiochiae nato, celeriter antecellere multis doctrinae gloria contigit. Tamen Athenas adeundi ibique sophistas quosdam audiendi consilium cepit. Bosporum traiecit, Piraeo longinqua et periculosa adeo navigatione appulit. Sed vix egressum factio quaedam studiosorum Atheniensium, fustibus armata, occupavit, nolentemque et tergiversantem deduxit in cauponam, ubi persuasione primo, deinde minis, tandem vi et iuramento obstrictum adegerunt, unum tantum audire sophistam nescio quem, qui hanc factionem, hunc chorum sibi nescio quibus artibus devinxerat. „Sic destitutus sum, inquit Libanius, eo praeceptore, quem unum audire volebam, cuius causa per mare navigaram, et coactus sum au-

dire nescio quem terrae filum, qui minime habendus in egregiis erat. Saepiusque adeo interesse cogebat certaminibus et proeliis, quae ab asseclis singulorum doctorum gerebantur eum in finem, ut auctoritas alterius doctoris contra alterum armis defenderetur acrius, quam si dimicandum pro patria fuisset.“ Haec igitur democratia litteraria nec literis praestitit, quod dignum esset admiratione. Quis enim vestrum magni faciat, praeter Plotinos et Proculos, Aedesios, Proaeresios, Chrysanthios similesque horum alios multos? Mihi videtur haec civitatis litterariae forma longissime abesse ab eo fine, quem litteris gestimus assequi.

Venio nunc a democraticis universitatibus ad *oligarchicas*, quarum imaginem una Bononia in Italia nobis praebebit. . Huius item universitatis litterarum nullus princeps, civitas nulla auctor fuit, sed ipsi doctores iuris sine salariis publicis docentes publice, allegerunt ex omnibus regionibus terrarum tantam vim discipulorum nobilium et locupletium, ut inde media in urbe Bononiae nova civitas litterarum cum propriis iuribus oriretur. Atque professoribus ipsis conservata est libertas doctores creandi, neque ulla confirmatione opus erat vel papae, vel cancellarii. Scholares autem peregrini nobiles et locupletes, dicti advenae vel forenses, plenam habebant civitatem, in duas tribus seu universitates divisi, Citramontanorum et Ultramontanorum, quarum quaeque suas habebat curias seu nationes, inter quas Germanica magnis eminebat privilegiis; Bononienses vero et plebei et pauperes plenam non habebant civitatem, sed, in collegia plura divisi, suas res domesticas curabant, ab omni reipublicae litterariae regimine remoti.

Ipsi professores non regebant has tribus, sed, licet ipsi eis adscripti, regebantur potius a scholaribus propter horum multitudinem. Tribus enim ipsae sibi annum rectorem constituebant electione, ita ut modo ex professorum, modo ex scholarium numero esset, ut quisque magis valebat auctoritate publica. Nam Bononiae non pueri aut adolescentuli convenerunt studiorum causa, sed viri barbati, adeo qui muneribus iam essent functi, imo cardinales, ut, si talis rector eligeretur, minime is procrearet invidiam. Imo non adeo cupidi rectoratus erant professores, quod otium suum, litteris impendendum, hoc munere viderentur perdere. Huic rectori iurabant et scholares et professores, se velle parere et aut huius aut episcopi iudicio se submissuros. Optio enim dabatur iurisdictionis. Haec omnia, quae dixi, ab initio tantum ad iureconsultos pertinere. Hanc doctrinam solam primo docebant professores; duae enim tribus, quas dixi fuisse scholarium, iureconsultorum fuere. Postea vero philosophi et medici, uno nomine Artistarum comprehensi, tertiam tribum ita adiecerunt, ut eius rector semper esset e professorum numero. Haec vero Artistarum tribus post multa demum certamina civitatem plenam assequuta est. Seculo tandem XIV. addita est facultas theologica, sed ita, ut neque rectorem haberet, neque plenam eius scholares civitatem nanciscerentur, sed, tanquam Latini apud Romanos, suffragia sua in tribus artistarum ferrent, saepius etiam suffragando prorsus prohiberentur. Videtis, AA., potestatem omnem in hac Bononiensi academia fuisse penes iureconsultos, eosque nobiles aut locupletes, hos, iureconsultos, fuisse *patricios* huius civitatis litterariae, quum medicis et philo-

sophia, tanquam *plebeiis*, per longum tempus aditus ad civitatem intercluderetur, *theologis* autem, tanquam sociis Latini nominis, civitas litteraria prorsus denegaretur. Recte igitur Bononiensem academiam diximus oligarchicam, quum inter professores iureconsulti imperium quoddam tenerent in medicos, philosophos et theologos, inter discipulos autem plenam civitatem haberent nobiles et locupletes, privilegiis vero nobiles Germani eminerent, humiles et abiecti essent pauperes. Eandem civitatis formam tenuerunt eae universitates Italiae, quae per secessionem professorum et studiosorum Bononiensium factae sunt, ut Patavina et Vicentina. Quemadmodum enim Romae, exortis discordiis civilibus, *secessiones* plures fuerunt plebis, una etiam patriciorum (trecentorum inquam Fabiorum): sic etiam hae *litterariae* civitates suas habuerunt, non dicam colonias, sed secessiones, ut ne haec quidem deesset similitudinis species, quae intercedit inter antiquas civitates et academias. — At vero antiquae illius gravitatis academiae Bononiensis ne vestigium quidem reliquerunt pontifices Romani. Nunc praescriptae sunt regulae professoribus, secundum quas docendum est, audienda sunt certa quaedam collegia studiosis, habent singuli studiosi suos rectores, iudicantur eorum causae a syndico urbis; atque omnino nunc ita fracta iacet tota universitas, ut antiquos istos fortes iureconsultos minime agnoscas. Testis ego fui oculatus, quum ante hos VI annos Bononiae versarer. Aestus tunc erat per dimidium fere mensem, implorabant a deo pluviam Bononienses. Quid agunt igitur? Imaginem sanctae Virginis Pluviae (sic enim licebit dicere pro Santa Maria della Pioggia) ex templo suo producant:

**fit supplicatio ad omnia pulvinaria: longo agmine pone virginis fumosam imaginem sequuntur pontifices, sequuntur omnes academiae professores, sequuntur tandem studiosi litterarum sat multi, sed flexis cervicibus, lamentantes omnes sacris cantilenis et eiulantes miserabiliter et tanquam fracti animis per plateas reptantes. Adeo florem iuventutis pontificum potentia potuit infringere. *Tantum religio potuit suadere malorum!***

Pergo ad *monarchicas* universitates, quarum instar antiqua universitas Parisiensis nobis esto. In hac universitate quum inde ab initio dominaretur theologia cum philosophia coniuncta, fieri non potuit, quin praeter regiae maiestatis magna etiam pontificis romani auctoritas esset. Sic aucta privilegiis, modo pontificiis, modo regiis, paulatim ita crevit resp. litteraria Parisiensis, ut nulla ceterarum par ei esset. Ac primum quidem saeculo XIII. ab Honorio III. papa interdictum est, ne iurisprudentia in academia Parisiensi doceretur, idque per tria fere saecula observatum est ita, ut uni tantum Cuiacio, propter praestantiam viri, permitteretur ius romanum docere. Doctores autem non poterant creari a professoribus, nisi permittente cancellario, quem confirmaverat papa; professores autem cooptabantur ab ipso collegio professorum. Hic igitur cancellarius tanquam censor litteratus, vel potius ipse pontifex romanus, regebat professores. Professores autem regebant studiosos litterarum, et regebant strenue, et fere coenobiorum modo. Notum est enim, scholares Parisienses, qui plerumque bursarii erant, seu una omnes pascebantur, ut aves in caveis, propter delicta quaedam leviora, etiam propter omissam in audiendis acroasibus di-

ligentiam, non leviter punitos esse. Statim enim expediebantur virgae, nudabantur terga peccatorum, et, rectore, tanquam altero L. Bruto consule, rectis oculis adspiciente, non modice flagellabantur. Quid? quod licuit professoribus, eodem modo etiam in baccalaureos saevire, ut viderentur carnificum quam patrum similiore. Hoc autem ne cui iniuria videatur, mementote, factum esse eo tempore, quo summus doctor Petrus Abaelardus propter haeresin a monachis, collegis suis, virgis perstringebatur. His autem scholaribus nulla fuisse suffragia in eligendis professoribus, non ius in professores, non opus est ut vobis aperiam, AA.

Sic igitur, quem volebamus, gyrum universitatum antiquarum perfecimus, emensi viam, quae a democraticis per oligarchicas ducebat ad monarchicas universitates. Ne miremini autem, quod singulas tantum imagines vobis proposuimus, memineritis, Athenas solas esse universitatem vere democraticam, Bononiam autem praebuisse exemplum omnibus fere universitatibus Italicis, si unam Neapolim excipias, Hispanicis omnibus, Gallicis omnibus, praeter Parisiensem; hanc vero, Parisiensem, imitandam sibi in universum sumpsisse Angliae et Germaniae antiquiores universitates. Mirum enim amorem huius universitatis iam antiquissimis temporibus in Germanis accenderat Otto Frisingensis, nobilis mediæ aevi historicus. Sed longe aliter in Germania res evenit, quum contra pontificum romanorum potentiam docti et fortes Germani ingenio et armis protestarentur. Protestarentur, inquam, rumpantur licet sermonis latini exactores; quod enim aptius est et fortius vocabulum, quo id significetur, quod voluerunt Germani, quod nolim

omninoque eo mutati, quo nunc, revocato quod  
 ab antiquis et solent theologo quidam, qui evangel-  
 ice hominibus mittunt quam protestantes. A pro-  
 testantibus autem Germanis tota germanicarum uni-  
 versitatum institutio mutata est, et pro forma mere  
 aut democratica aut oligarchica aut monarchica,  
 mixta quaedam introducta, quae omnium videtur  
 esse optima. Quomodo enim mixtam civita-  
 tem politicam Pythagorei et Peripatetici, inprimis  
 vero omnium Philosophorum princeps Aristoteles,  
 optimam habebant omnium, in qua idonea ratione  
 monarchia cum aristocratia et democratia tempera-  
 retur: ita remp. litterariam eam dixeris esse opti-  
 mam, quae temperata sit ex variis antiquiorum  
 universitatum institutionibus. Atque talis reipubl.  
 imaginem cum aliis pluribus universitatibus nostra  
 praebet universitas, quam hic inprimis commemo-  
 rari par esse videtur (si vel maxime non essemus  
 eius cives), quod ab eo principe condita est, qui  
 protestantium omnium stator atque columen recte  
 dicebatur, Ioanne Friderico Magnanimo.

In his recentioribus autem universitatibus IV  
 sunt instituta democratica. Ac primum quidem apud  
 nos est democratia *litterarum*, quae abominatur no-  
 bilitatis cuiusdam litterariae privilegia, quae non  
 patitur, ut theologia imperet iurisprudentiae, me-  
 dicinae vel philosophiae, quod videmus fuisse Pari-  
 siis, aut ut iurisprudentia dominetur in ceteras  
 disciplinas et artes, quod videmus Bononiae, Pata-  
 viae et in ceteris omnibus Italiae universitatibus.  
 Aequali apud nos honore fruuntur omnes discipli-  
 nae. Alterum democraticum hoc est, quod Vos,  
 Commilitones carissimi, omnes habemini pares; nul-  
 lis enim apud nos fruuntur privilegiis aut nobiles



aut locupletes, quemadmodum id fuisse Bononiae videmus et in ceteris Italiae universitatibus litterarum. Porro Vobis libertas conceditur audiendi quem vultis et quod vultis; non arcemini ab acroasibus praeceptorum, ut Athenis factum est, non cogimini audire certas quasdam acroases certo constitutoque tempore, quod fieri Parisiis solebat et etiam nunc fit in universitatibus Britannicis. Quarta, quam haud scio an dicam maximam, quarta democratica institutio ad Vos item pertinet, Comm. humanissimi; iudicamini enim ab *aequalibus*, ab iisdem, qui Vobiscum artes tractant humanitatis, iudicamini a *nobis*, non ab iis, qui a studiis vestris vestraque vita abhorrent, iudicamini autem ita, ut illud Periclis Thucydidi (2, 37) de Atheniensium iudiciis etiam de Vobis valeat: *οὐ δὲ δογῆς τὸν πέλας, εἰ καὶ ἡδομένην τι δοῶ, ἔχοντες, οὐδὲ ἀζημίους μὲν, λυπηρὰς δὲ τῇ ὄψει ἀχθηδόνας προστιθέμενοι*, valetque tanto magis, quanto similiori patrum amore Vos omnes amplectimur. — Porro ad Aristocratiam pertinet id, quod munera et negotia universitatis et ipsa iudicia, de quibus diximus, non administrantur ab omnibus, sed ab iis tantum, qui aetate et experientia aliquantum praestare videntur reliquis: recte enim a Senioribus dicitur Senatus. In ipso autem hoc aristocratico senatu haec est rursus democratica institutio, ut nemo unus ex omnibus senatoribus iuribus vel levissimis praemineat ceteris, ut ipse adeo prorektor id tantum *exsequi* debeat, quod ceteri senatores suffragiis suis constituerint. *Monarchicum* autem est illud imperium, quo Serenissimi principes nostri academiam totam ita moderantur ut legato suo, qui eorum nomine universitatem curat, quasi patrocipium universitatis demandarint. Ita

visum est eis, commodissimum vinculum parare inter universitatem et summum, quod penes eos est, regimen. Haec igitur mixta institutio, quae, licet sit monarchica, tamen ex aristocratia et democratia plura habet sapienter et laudabiliter adiecta, quae non patiuntur, ut litterae servili modo coerceantur, ad nobile illud fastigium gloriae evexit Germaniam, ut ceterae, quae sapiunt, nationes, vere id suspiciant et nostra instituta ad suas universitates constituerint transferre. Dubitabimus etiam de praesentia harum institutionum, quam tria fere saecula comprobantur? Dubitabimus post tot testimonia eorum, qui hostes olim fuerunt nostri et nos acerrimo odio persequuti sunt, nunc autem institutis litterariis nos *imitantur*, qui viveremus in cimmeriis historiae tenebris omnes, nisi lumen litterarum accederet? Si qui sunt, qui prorsus mutandas esse censent universitates, habendi sunt in eorum numero, qui, postquam conati sunt politicam civitatum formam evertere, nunc etiam *litterarias* civitates adoriuntur. Est enim haec saeculi quaedam labes atque macula, virtuti invidere, velle ipsum florem recti atque honesti infringere. Viderint autem isti, ne futurum tempus stulte et temere eos statuuisse coarguat, viderint, ne Herostratorum nomen ipsis veniat, qui templa litterarum temerarie destruere moliantur. Sed quid me rumoribus, tanquam ventis, patior impelli? Confidamus sapientiae et iustitiae principum, qui in adversis rebus contra malevolentiam invidiosorum fortiter academias tuebuntur; confidamus praecipue deo immortalis, qui per tria saecula et quod supra est, clementer tuitus est haec seminaria doctrinae, denique nobis ipsis confidamus, ne recte dicantur causa cecidisse, qui prius animo ceciderint. Vos

entem; Comm. hum.; imprimis hortandi estis, ut, quas hucusque in Vobis virtutes Prussianae, diligentiam, probitatem, obsequium, etiam in posterum conservetis, ne, si quid acciderit, obrectatores academiarum merito nos cecidisse praedicare audeant. Quod reliquum est; vota nuncupare pro salute et incolumitate Serenissimorum principum, qui hanc academiam clementissime regunt, et pro ipsius academiae florentissimis rebus, et mos institutus et meus me animus compellit. Precor enim eis perpetuam felicitatem et laetissima quaeque, precor, ut eam benevolentiam, quae ex intelligentia rerum proficiscitur, nobis nostraeque academiae etiam in posterum conservent, etiam malivolentiam haud infuscatam indoctorum deus bene verruncet, resque nostras fortunatim, feliciter ac bene vortat!

## CAROLI TIMOTHEI ZUMPT

ORATIO DE RE SCHOLASTICA, IN PRIMIS  
BORUSSORUM \*).

Arbitror ego vos omnes, Viri generosissimi, Auditores humanissimi, eam ob causam hunc in locum convenire atque haec vota sollemnia vestra praesentia concelebrare voluisse, quod res scholastica vobis digna videtur, ad quam curam animosque converta-

\*) Habita in Friderici Guillelmi III. regis aug. natalicis LIX Berolini in gymnasio Ioachimico a. 1823, postea typis vulgata.

tis. Neque sane non inter paucissimas res, quæ omnium hominum mentes cogitationesque exercent, habenda est hæc *scholasticæ institutionis* ratio, cuius admirabiles sunt in utramque partem fructus atque ad omnem vitam pertinentes. Quis enim est, qui non, quum recesserit in memoriam pueritiæ, facile recordetur, quantam vim vel ipsa schola vel unius et alterius magistri disciplina ad animum excolendum habuerit, quid sit, cur una literarum pars sibi vel seni iucunda sit, alterius nomen ipsum reminiscentis animum tacito quodam horrore perstringat. Servat enim odorem testa diu, quo semel recens imbuta est, et paucissimi, quam viam iuvenes ingredi non didicerunt, eam viri facti suo ingenio quaerere et investigare solent. Quapropter quid facere possum vel muneri meo aptius, vel personis vestris accommodatius, quam ut *de re scholastica* dicendi mihi argumentum sumam, praesertim quum hæc res artissime cum Regis nostri laudibus coniuncta sit, pro cuius salute ut hodie vota nuncuparem, huius scholæ nomine orator constitutus sum. Nam hanc palmam optimo Regi iustissime deberi omnes ita consentiunt, ut ab eo in hoc genere plus praestitum esse fateantur, quam a plerisque aliis regibus: hanc esse in eius quasi corona civica fulgentissimam gemmam, quod rem scholasticam et sumptibus faciendis egregie adiutam et legibus dandis prudenter conformatam esse voluerit.

Itaque hac rerum divisione servata, et ipse primum *de statu scholarum*, deinde *de ratione disciplinæ et constituta et constituenda* dicam. Qua in re hanc mihi veniam facile dabit, AA., ut paululum a Regis persona discedere liceat: redeunt enim omnia, quamvis longinqua videantur, ad eundem

tamen finem et optimi Regis laudem: neque pluribus verbis orabo, ut argumenti tenuitatem excuse-  
tis, quum certo sciam, nihil vobis tenue videri, quod  
ad iuventutis patriae institutionem pertineat.

Constat, AA., *statum scholarum* diversis tempo-  
ribus diversum fuisse. Nam apud veteres Graecos,  
quibus solis hanc quasi praerogativam natura tri-  
buerat, ut omnia ingeniosius invenirent, quam la-  
boriosius discerent, nullae erant scholae publice con-  
stitutae: totus ipse sibi populus erat magister, to-  
tus discipulus. Qui artem aliquam invenisset, di-  
scendi cupidos circa se congregabat: civitas nec  
adiumenta, nec praesidia ad eam rem praebebat.  
Neque veteres Romani, quum omni studio ad remp.  
administrandam ferrentur, quae eo pertinebant ar-  
tes, operose discebant: ipsa respublica, forum, iu-  
dicia, pro schola erant, palam erant omnia, nihil  
reconditum, nihil remotum. Sed iidem tamen po-  
puli quum amissa libertate senescere coepissent,  
magno suo detrimento intellexerunt, longe difficilius  
esse, partam maioribus scientiam retinere ac tueri,  
quam illis fuerat, parere atque invenire. O docu-  
mentum illud ingens ac memorabile, AA.! Ar-  
tium ac disciplinarum irrevocabilis iactura citius,  
quam quisquam expectaverat, ingruit, quamvis et  
reges et imperatores romani praemiis honoribusque  
studia hominum eruditorum retinere cuperent. Nam  
unum illud, quod ruinam fortasse sustentare po-  
tuisset remedium, non erat in promptu, ut scholae  
doctrinae conderentur, magistri convocarentur, ale-  
rentur, omnibus aliis negotiis exsolverentur. Itaque  
tenebrae aliquanto ante Gothorum, Hunnorum, Van-  
dalorum populationes orbem terrarum inducere coe-  
perunt, veterum ingeniorum monumenta obrueban-

tur, spissa nox paulatim ingravescebat. *Exstitit tum ecclesia christiana*, quae scholas aperiret et doctrinae patrocinium quodammodo susciperet. In eius tutela res scholastica mille ferme annos latuit. Et initio quidem satis liberaliter habebatur, ut artes literaeque suae praestantiae causa, non ob aliquam necessitatem coli ac propagari viderentur: mox vero cum monachi et canonici, quorum illud munus fuerat, otium et quietem quam doctrinam sequi mallerent, totaque ecclesia agris bonisque locupletata sese a republ. separasset, institutio iuvenilis negligi coepit, nec fere quidquam literarum, nisi apud solos ecclesiasticos erat, et quantum illud fuerit non opus est dicere. Sola fuit grammatica latina, qua nemo, qui supra vulgum sapere vellet, carere poterat: illud unum vinculum fuit, quo aliquando recentem barbariem cum antiquitatis doctrina colligatum iri sperares.

Restitutis igitur in Italia literis antiquis et veteribus Graecis Romanisque scriptoribus detectis atque in usum hominum prolatis, ea maxime mutatio scholarum secuta est, quod ad novam messem percipiendam non unius tantum ordinis homines, sed omnia vitae genera invitarentur. Atque ipsa ecclesiae emendatio, quam reformationem vulgo dicimus, quam aliam habuit vim, nisi ut discidium, quod inter ecclesiam ceteramque rempubl. esset, tolleretur, sacerdotes cum vita civili coniungeret, ceteros cives ad vitae sanctitatem et doctrinae communionem vocaret? Condebantur tum certatim scholae a principibus, a civitatibus, a privatis hominibus, quae mirabilem in modum efflorescebant et discipulorum multitudine literarumque tractatarum ambitu crescebant. Itaque artes et literae illo sextodecimo saeculo tantos progressus fecerunt, ut veterem illam

**Græciam**, artium literarumque inventricem revivisse putares, eo discrimine, quod, ut olim ingenium lente doctrinam, sic doctrina tum cito ingenium provocasse videbatur. Sed hoc loco non dicimus de ipsis literis, dicimus de scholarum regimine, quod, ut antea penes ecclesiam, sic iam, prout quæque schola condita erat, penes principem, penes civitatum magistratus, penes singulos homines erat.

Ex qua re quot incommoda nascerentur, nemo tum intelligebat, omnes enim uno studio exarserant augendae doctrinae, emendandae vitae, lucis evangelicae defendendae. Postea vero quum literarum ambitus ingentem in modum amplificaretur, alia non iam necessaria viderentur, novae multae opiniones de commutanda re scholastica orirentur, partim verae, partim veri tantum speciem prae se ferentes, quum alii novam disciplinam cupide inducerent, alii veterem pertinaciter tuerentur, nec tamen non possent eam in quibusdam rebus relinquere: intelligi coeptum est, quantopere res scholastica certo quodam regimine egeret. Accesserat etiam aliud incommodum, quod magis etiam ad scholarum statum pertinebat. Nam quum in aliis provinciis, aut veteri opulentia instructis, aut insigni principum liberalitate adiutis, multae scholae florarent eorumque magistri lautis stipendiis instructi essent; in aliis contra latis regionibus pauca erant doctrinae semina, et quae reddituum tenuitate miseram vitam trahebant. Comparete, quaeso, Saxoniam, ludis literariis abundantem, cum Pomerania nostra et Neomarchia et hac ipsa provincia Brandenburgica electorali, qualis quidem ante paucos annos erat, ac facile, quantopere hoc discrimen scholarum condita-

rum ad doctorum hominum proventum valuerit, intelligetis.

Illis igitur incommodis, ut priora medendi initia omittam, penitus occurrit Regis nostri sapientia, qui, quum regnum ex ingentibus bellorum turbis recepisset, *totam scholarum curam in partem summae reip. recepit, et communi regimini subiecit.* Neque poterat quidquam sapientius, et ad augendas populi vires accommodatius institui. Nam quum omnis hominum vita et animo et corpore constet, sicut bonorum regum est, cavere, ne quod cives sui corporum et fortunarum detrimentum faciant, et omnia providere, ut et saluberrime vivant et bonis honeste locupletentur: sic animis eorum, religionis doctrinaeque praesidiis et adiumentis comparandis, consulere debent.

Turpis enim atque inhumana quorundam hominum opinio merito censetur, periculum esse, ne, hominibus nimis eruditis, fides erga regem patriamque, honestas atque religio labatur. Hoc certe falsum esse, facile intelligitur. Deus enim hominibus mentem dedit, quam excolerent, neque potest ac debet quidquam perniciosum et alienum ab hominis et civis officiis ex illa mentis cultura, nullis terminis circumscripta, consequi. Itaque iure nullos sumptus, in augenda doctrina collocatos, nimis magnos existimabimus, atque Regem eiusque amicos et praeclari operis administros omni laude cohonestandos censebit posteritas, quod veterum scholarum reditus, ubi opus videretur, auxerunt, novas condiderunt, nullam sustulerunt.

Quae quamvis magna sint, et merito omni laude celebrentur, nemo tamen nihil iam relictum esse opinabitur. Provisum iam fere satis videri potest his



scholis, de quibus peculiariter dico, quas licentias appellare liceat, instituta etiam via est ad emendandas scholas parvulorum rusticorum. Doceat tamen etiam nunc videtur medium aliquod genus scholarum, cuius insignem fore utilitatem persuasum habeo. Nimirum hoc tempore, quum artes et disciplinae per omnem vitam ita diffusae sunt, ut, si quis ad negotium aliquod civile, ad honestum quicquid, ad mercaturam factitandam, accedere velit, multa iam percepta habere debeat, quibus illam ipsam rem sibi ac civitati fructuosiore reddat; hoc igitur tempore scholae quaedam in urbibus maioribus desiderantur technicae, in quibus, quae ad praesentem usum et necessitatis vitae communis pertineant, accuratius et plenius doceantur, quam fieri potest in scholis inferioribus ac fieri debet in scholis literariis. Neque enim omnia, quae ad naturae cognitionem et scientiam pertinent, ad chemiam et eas partes mathematicae, quae artium popularium causas rationesque persequuntur, porro geographia, quae politica et statistica vulgo dicitur, linguae recentiores, alia, nec possunt ob temporis brevitatem in scholis literariis doceri, nec debent, quandoquidem nondum ita possunt doceri, sicut accurata doctrinae ratio postulat. Atque ingens adeo commodum, talibus scholis institutis, ad haec antiquioris doctrinae seminaria redundaret. Laboramus enim, AA., multitudine discipulorum, alia omnia quam nostram hanc doctrinam expetentium: eorum causa nonnulla docentur, quibus supersedere possemus, si omnes illos, certe plerosque, cursum scholasticum aliquando perfecturos esse speraremus, plura contra illi discere coguntur, quorum, quum utilitatem minus percipiant, non illi quidem aspernantur institutionem,

sed crassa Minerva, ut ajunt, percipiunt, et ipsis magistris, ut leniores ac lentiores fiant, paulatim persuadent. Accedit etiam hoc, quod hac blanda consuetudine lente discoendi multi pueri quasi aliud agentes ab infimorum ordinum scamnis ad academiam perducuntur, quorum ingenia ad alia factitanda melius videmus esse comparata, quam ad severiores disciplinas et munera in republica obeunda.

Sed etiam huius rei aliquando remedium Regis sapientia inveniet \*). Nunc, si multitudinem scholarum doctarum, iam in omnibus regni provinciis laete efflorescentium, contemplor, animus perfunditur laetitia, atque huic regno optima et faustissima quaeque praesagit. Felicem quis enim non iudicaverit terram, in qua honestas et doctrina per omnes civium ordines diffusa sit, imprimis ubi hi, qui aliquam reip. partem administraturi sint, ita omni et animi et ingenii praestantia excellant, ut ceteri cives se ab iis libenter regi patiantur. Neque enim unquam adducor, ut doctrina non mores quoque vitamque hominum emendari censeam, dummodo illa sit doctrina, quae non inani declamatione, sed operosa et gravi mentis intentione et constet et comparetur.

Sed hoc alterum erat, de quo deinceps dicere constitueram, quum initio me verba facturum de re scholastica Regis benivolentissimi auspiciis et aucta

---

\*) In hac quidem urbe nostra dudum instituta est schola, quae realis dicitur, nuper regia liberalitate aucta et insigniter adiuta, cui aemulabitur ea, quam Senatus huius civitatis condendam suscepit. Licet igitur iam sperare, simile aliquid extitutum apud nostrates, ac Parisiis institutum polytechnicum, unde eximiam utilitatem ad vitam communem et ipsas litteras fluxisse constat.

et *novis legibus conformata* ostendissem. ~~Quid~~  
 enim iuvat scholarum multitudo, nisi certae  
 accedant, quibus et magistrorum labores ~~et~~  
 lorum studia regantur?

Atque in ea re non possum non praedicare et  
 Regis ipsius et Virorum, quos in partem curarum  
 vocavit, sapientiam, qui quum multa, quae ad uni-  
 versam rem scholasticam pertinerent, accurate con-  
 stituissent, alia non minus multa ipsis scholarum re-  
 ctoribus et magistris permiserunt, de quibus, non  
 dico ad libitum suum, sed ad praesentis usus neces-  
 sitatem decernerent. Neque enim sapiens quisquam  
 laudaverit istam sollicitam curam *omnia* praescri-  
 bendi, quam ex peregrinis ac barbaris terris etiam  
 in patriae nostrae Germaniae quasdam regiones illa-  
 tam esse doleas; qua hoc assequi student, et vero  
 etiam assequuntur, ne quid usquam novum, ingenio-  
 sum, atque a receptis opinionibus alienum, hoc in  
 genere appareat. Ut hoc utar (neque enim decet,  
 obscuris vocibus iactandis, latius, quae ad te non  
 pertineant, videri velle perstringere) nostrarum re-  
 rum moderatores non praescripserunt, quibus libris  
 vel doctrinae compendiis magistri in docendis ado-  
 lescentibus uterentur, a quibus abire et diversa do-  
 cere piaculum esset. Ne scriptores quidem graecos  
 et romanos, quamvis de his vetusta maiorum opinio,  
 sed opinio tamen, iamdudum statuuisse videatur, ita  
 praescribunt pueris et adolescentibus praelegendos,  
 ut scholarum rectores et magistri, prout discipulo-  
 rum suorum profectibus conveniat, non possint  
 etiam ad alios subinde transire. Commendant, ad-  
 monent, corrigunt, sed tantum abest, ut patriae iu-  
 ventutis doctores servos aut operas publicas existi-  
 ment, qui, quod iussi sint, aeneo pectore, sicut prae-

~~et~~ quidam, deblaterent, ut laudibus etiam praestitumque adhortentur, et adiuvent, si quis novum aliquid et bonum suo in genere praestiterit, et ex doctrinae penu protulerit. Rectissime. Nam, ita me deus iuvet, nescio an nulli hominum ordini segnities et *dulcia illa vitae sollicitae oblivia* magis timenda sint, quam magistris scholasticis, quum eius rei nimis magnas illecebras habeamus: similitudinem pensorum et profectum, secessum domesticum, vitam a negotiis publicis remotam.

Itaque doctrinam solam esse, quae nos et consolaretur et excitaret, huius augendae ac proferendae studium semper alendum, huius adminicula largiter praebenda esse, sapientissimi quique rerum scholasticarum moderatores semper intellexerunt. Qui non vereor, ne pernicioso quorundam hominum errore et ipsi decipiantur, mediocritatem quandam doctrinae in hominibus scholasticis magnopere commendantium, ingenium vero et indefessum discendi studium etiam reprehendentium. Scilicet assiduitatem puerorum docendorum illis rebus minui opinantur, nec tamen cogitant, quantum exemplum valeat ad animos erudiendos. Neque enim potest doctrinae studium gigni, nisi eodem studio, et frustra omnes omnium literarum doctores congreges, nisi scintilla illa, in teneris mentibus latens, adhortationibus, admonitionibus, poenis, vultu denique et voce et exemplo magistri excitetur, alatur, inflammetur. Sed in viam me revoco. Dixeram, insigni laude dignissimos esse et regem ipsum et Regis amicos, (sic enim merito veteres Romani regum et principum consiliarios vocabant,) quod scholarum magistros noluerunt illi quidem, docendi legibus praepeditos, in laboriosum negotium contrudere, sed eorundem studia certis in-

stitutis referant: Quo ego pertinere arbitror examina severa, quum ipsorum virorum iuvenum, qui in hunc doctorum publicorum ordinem intrare vel-  
 lent, tum discipulorum, cursu scholastico perfecto, imprimis sollemnia et publica auctoritate sacra. Potest enim ac debet civitas postulare a schola, quantum velit didicisse adolescentem, priusquam ad studia earum rerum, quae ad remp. administrandam pertinent, gradum faciat. Hae scholae humanitatis sunt, vel, si mavis, universae doctrinae. Academia, quem haec doctrina habeat usum, quam rationem et utilitatem ad vitam civilem et negotia publica, docet, et omnis iam ad eruditionem cum utilitate et salute publica consociandam tendit. Itaque Rex, quem modum scientiae eum habere vellet, qui aditum quasi propiorem ad remp. peteret, constituit, quique eum nondum assecuti sunt, hi, tantae rei impares, a limine academiae arceri debent. At dixerit aliquis, eadem, quae in schola, literae traduntur etiam in academia: scriptores graeci et romani explicantur, scholae habentur de omnibus partibus mathematices et physices, historia et antiqua et recentior enarratur. Docentur illa quidem omnia, et prudenter hoc institutum est, ne ullus usquam locus vacuus esset praesidiis et exercitatione universae doctrinae et literarum humanitatis. Quocirca scholas, ut hoc utar, de praestantissimis graecis romanisque scriptoribus habendas, aequum est, ab omnibus iuvenibus in universitate studentibus, frequentari, quoniam tam multiplices fructus ex hoc veteris historiae veterisque artis studio emanant. Verum illae scholae academicae non sunt tamen eam ob causam institutae, ut rudes adolescentes quasi manu magistri ducti lacunas eruditionis scholasticae expleant, sed ut eruditi

iam ac bene praeparati ad altiora penetrant, et ipsi aliquando earum rerum doctores fiant. Quapropter iure a nostris adolescentibus, scholasticam disciplinam relicturis, exigitur, ut graece mediocriter intelligant, latine non solum intelligant, sed etiam emendate scribant, universae historiae praecipuos eventus teneant, mathematicarum disciplinarum elementa perceperint, patrio denique sermone recte et apte quae cogitaverint exprimere possint.

Haec non nimis magna esse, et iuveni in altum quasi artium ac disciplinarum enavigaturo prorsus necessaria, quivis harum rerum aestimator concedet, fatebitur adeo, ab adolescente bene instituto postulari praeterea posse, ut unam alteramve linguarum recentiorum usu et lectione didicerit, et aliquam cognitionem de ambitu doctrinae universae et cognitione literarum habeat, id quod ego quidem iuveni studioso imprimis utile esse arbitror. Sed ea tamen non exiguntur, nec eorum quae exiguntur, ratio discendi et docendi scholis praescribitur, sed concordī magistrorum ingenio et doctrinae permittitur. Sed nescio an nulla unquam lis tanta inter homines doctos fuerit, quam haec de ratione modoque literarum in schola tractandarum, deque dissensione, quae putatur interesse inter disciplinas mathematicas ceterasque ad naturae scientiam pertinentes, et inter literas antiquas quaeque aliae ad historiam spectant. Neque lis illa secundum hos vel illos diiudicata est a Rege nostro, (Regis enim ea puto esse omnia, quae regia auctoritate constituta sunt,) sed dissensio aliter atque plerique digladiantes expectaverant composita, dum utraeque disciplinae ita suum honorem obtinere iubentur, ut nec eruditionis antiquae severitati quidquam detra-

ctum, et multum recentioris flagitationibus concessum sit.

Quodsi iam multi inveniuntur, qui perdi vitam adolescentium multitudine rerum discendarum clament, et obrui teneros animos, dum, quae ceteri senes nondum didicerint, hodie ab adolescentulis exigantur: hi sibi persuadeant, usu atque meditatione magistrorum quotannis aditus ad doctrinam faciliores fieri. Male hercule actum esset de omni disciplina, nisi hoc nos obtinuerimus, plerasque res hodie facilius, nec tamen minus accurate disci, quam discébantur ante hos viginti et triginta annos. Verbi causa: scriptores graecos quanta facilitate iam nostri discipuli explicant et interpretantur! quum nos plerique magistri, quanto labore et quanto taedio decem Homericos versus singulis lectionibus olim perreptaverimus, non sane laeti recordemur. Porro latine et intelligendi et scribendi facultate, quanto maiore hinc adolescentes gaudeant, quam nos, eadem quum aetate eramus, quis est qui non libens velit agnoscere? Itaque quamvis in dies rerum discendarum copia augeatur, augetur tamen etiam discendi facilitas, novae rationes ineuntur, non semper illae quidem improbandae; sed dum ipsa necessitate ad varia subsidia et adiumenta invenienda compellimur, latior et rectior via struitur, impedimenta, quibus olim obsepta erat, remonentur, falsa abiiciuntur, minus recta corriguntur, certiora iam pueris traduntur.

Atque auserim ego contendere, si quis hoc tantum agere velit, ut eum finem, qui academiae futuris civibus edicto regio propositus est, assequantur discipuli, multo etiam breviori tempore, quam nunc solet, illud posse perfici. Quid enim, AA.? Graece

intelligere, latine probabiliter scribere, ut de mea tantum professione dicam, si quis velit compendiarie via discere, legat quotidie Ciceronem et Xenophontem, et unam horulam latine se scribendo exerceat: haud dubie intra biennium, postquam verba componere didicerit, omnium iudicum postulatis satisfaciet. Sed apage istas ineptias! Neque enim veteribus linguis operam damus, et praestantissimos scriptores legimus, ut verba construere discamus, sed ut animos veteri historia et eloquentia et philosophia alamus, cuius rei tanti sunt fructus, tanta tamque honesta voluptas, ut nemo bonis adolescentibus tempus illud invidere debeat, quod una cum ceteris disciplinis huic praeclaro studio impendant.

Atque ut hoc extremo loco etiam aliquid addam *de divisione ac distributione lectionum scholasticarum*, quam rem moderatores rerum nostrarum merito ipsis scholarum magistris permittere voluerunt, dicam ego quod sentio, quodque mihi multum ea de re cogitanti solet interdum non ineptum videri. Quum tres partes sint universae doctrinae, prima quae ad rerum naturalium notitiam et leges pertinet, altera quae ad mentis humanae cognitionem, tertia quae ad rerum olim gestarum scientiam spectat: harum trium partium in his scholis, si quidem recte literariae et doctae vocantur, omnium fundamenta iaci necesse est. Quarta additur, quae bene ornateque dicendi, quae didiceris aut cogitaveris, artem comprehendit, sive rhetorice, quam super illas quas dixi disciplinas, imprimis accurate in scholis docendam esse nemo non intelligit. Linguis veteribus, graeca et latina, omne fundamentum historiae et rhetorices continetur, quibus adiungitur ad hunc ipsum usum germanica, nunquam sine ho-



nore appellanda. Iam vero si scholam literariam, qualis haec nostra principum laudatissimorum iussu esse debet, quinque discipulorum classibus constare video, nam infimi ordines in hunc censum venire non possunt, propterea quod in iis non doctrina, sed institutio quaedam technica expetitur, quinque has classes ita videmur non inepte posse describere, ut in tribus inferioribus classibus grammatica utriusque linguae veteris binis quotidie lectionibus doceatur, totidem rerum naturalium notitia et causarum motuumque explicatio mathematica et physica tradatur. Neque enim verendum est, ne hanc puerorum curiosa aetas non percipere possit, quippe pleraque iam fere experimentis ac figuris doceri solent, neque quidquam pueriles animos tantopere allicit, quam rerum, quae in sensus incidunt, certa quaedam explicatio. Huic curiosae cognitioni si posthac addatur causarum et notionum accurata definitio, non poterit non animus inveniendi ac discendi studio excitari, qui frustra, si rerum deest copia, inani doctrina tentatur.

Grammaticae vero in superiore classe iure superstruitur historiae cognitio, veteris illius dico, graecae et romanae, tum ex ipsis rerum gestarum fontibus, Herodoto, Plutarcho, Livio, Velleio, Cicerone scriptoribus probatissimis, altero post alterum, sicut rerum ordo postulat, legendis, ita ut lacunae, quas temporis brevitae oriri necesse sit, magistri quasi supplementis sarciantur, tum accurata et copiosa veteris historiae enarratione, una cum antiquitatum et terrarum locorumque situs descriptione. Quae res omnes quum latino sermone declarari possint, non opus est stili latini quae dicuntur exercitiis, quibus ne maiores quidem nostri

egebant, quam sermone latino, eius rei vicario, uterentur.

Superest iam prima classis, cuius industria ac diligentia rhetoricis imprimis exercitationibus videtur esse continenda. Nam hanc ego disciplinam aegerrime patior tam diu a scholis nostris exulare, eam dico, quae, praeceptis et exemplis nixa, omnes rationes inveniendi, dividendi, eloquendi ornandique, figuras orationis, genera dicendi pertractet, et qui cuiusque usus sit, demonstret. Vellem novus aliquis *Meierotto* existeret, qui ex scriptoribus graecis, romanis, germanicis, gallicis, (hos enim iuvenis literarum studiosus pari facilitate intelligere debet; certe velle debet intelligere,) exempla eloquentiae conquireret ac veteri illa rhetorum ratione disponderet. Hanc ego disciplinam imprimis putaverim primi ordinis tironibus aptam fore, mihi enim, nescio an fallar, sed dicam tamen quod sentio, germanica eloquentia et latina et quaevis alia, una tantum atque eadem videtur esse, atque in omnibus linguis, modo grammaticam recte et ex ordine perceperis, verba *provisam rem non invita sequi*. Simul adolescenti explicentur Cicero et Demosthenes, Horatius et Euripides sive quis alius divinorum poetarum graecorum, demonstretur artificium rhetoricum, ars poetica, non futili ista ratione et saepe exagitata, ut parietes praeconiis euge, belle, pulchre, praeclare, circumsonent, sed sententiae vi proposita atque ex historiae naturaeque humanae cognitione explicata, quam illi apta sit oratio, non verbose enarretur, sed breviter significetur. Quaeritis fortasse, AA., quid iam interesse dicam inter hanc historicam et rhetoricam veterum interpretandorum rationem et grammaticam inferioribus clas-

sibus aptam? Hoc interesse videtur, quod quum utraque verborum intellectus perfectus est, diversa accedit ipsius magistri explicatio. Qui grammaticam sequitur rationem, verborum constructiones premit, grammaticorum regulas repetit, fidemque illis singulis locis conciliat: qui historiam et eloquentiam docere voluerit, is non poterit in quavis periodo insistere, plures paginas coniunget, ad finem curret, causas et eventum rei indagabit ac demonstrabit, argumentandi rationes proponet, discipulos perpetuo, quo quidque pertineat, admonebit.

Et si cui forte indignum videatur, quod historiam et stili germanici exercitationes ab inferioribus classibus excludendas censeam, ei me confirmabo nequaquam illas res parvi aestimare, immo longe pluris quam ut rite et sicut mereantur cum pueris tractari posse videantur. Quid enim, AA.? Placentne vobis pueruli de se suisque sententiis, quae nullae sunt, magnifice vel potius ridicule declamitantes? Accedit magister, reprehendit, corrigit, refutat, pinnae quasi evelit, scilicet ut pueri serio de rebus seriis scribere discant. At illi ante annos, priusquam rerum et praeceptorum copiam mente conceperint, recte scribere non discent, quoque ingenio plus valent, eo magis aut correctiones aspernabuntur, aut sibi diffidere incipient. Quin igitur suis sibi imaginibus et mentis puerilis delectamentis permittuntur, ne, quod pueritia habeat iucundissimum, amittant, et nimis mature adolescant.

Historiam vero, id est rerum gestarum cognitionem, tam video difficilem esse, ut in scholis nostris vix antiquam recte disci posse putem. Videtur enim inutilis esse, nisi causarum simul explicatio accedat,

nisi fontium quaedam notitia adiungatur, nisi ingenium aetatis cuiusque intelligatur. Id quod perfici aliqua ratione potest in antiqua historia explicanda, nam praestantissimi scriptores a tironibus leguntur, antiquitates enarrantur, omnis cura magistrorum in eo consumitur, ut, quid a nostris diversum in antiquis linguis, moribus, institutis, ingeniis sit, recte intelligatur. Haec igitur fructuosa est rerum gestarum cognitio, et mirum quantum ad excolenda iuvenum ingenia prodest. Quid enim potest magis erudire et exercere, quam si, mente et cogitatione in longinquis temporibus defixus, excellentissimos homines consilia inire, agere ac pati videas, accurate intelligens, quid illud sit, quod suis laboribus expetant? Recentioris vero historiae in his scholis enarratio omni probatione caret: quotus enim quisque de fontibus et veris auctoribus cogitat et anquirat? Causae plurimarum rerum ignorantur, nec nisi accurata diligentia investigantur: sed quod maximum esse mihi quidem videri solet, ipsae res, de quibus agitur, nervi atque artus omnis historiae, aut ab ipsis doctoribus nondum exploratae sunt, aut pueris certe et adolescentibus proponi nequeunt. Nam oro quaesoque Vos, AA., nisi historiam pueris pueriliter volumus tradere, id quod a gravitate institutionis publicae alienum videtur, quae res, quam graves, quam ad vitam publicam pertinentes, erunt attingendae, de iuribus principum et civitatum, de redditibus et vectigalibus publicis, de ordinum discrimine, de administranda summa republica, alia multa, quae quantopere puerorum captum superent, ita intelligo, ut in academiis recentioris historiae plenam et e fontibus ductam enarrationem omnibus iuvenibus, qui quidem aliquam aliquando reipublicae

partem attingere velint, prorsus necessariam iisque adeo publica auctoritate commendandam existimem. In his scholis abunde mihi sufficere videtur, si priorum ordinum tirones regnorum ac civitatum origines, et regum familias earumque successiones didicerint, cetera privatae, si forte, lectioni relinquuntur.

Quodsi temporis aliquid nobis supererit, quam ad rem potius adhibebimus, quam ad philosophiae quaedam fundamenta iacienda? Habemus illius quidem disciplinae praeclaram ac vere divinam vicariam, religionem sive theologiam, cuius partes aequum est omnium aetatum discipulis explicari, imprimis quantum ad cognoscendos libros sacros pertinet. Sed nescio tamen an huic institutioni doctrinam de moribus et summo bono, e veteribus philosophis petendam, et legendis praestantissimis libris Ciceronis de Officiis et de Finibus explicandam, adiungere debeamus. Excitandi enim sunt adolescentium animi et advertendi ad illas quaestiones, quibus recte diiudicandis omnis vitae honestas continetur. Unum vero imprimis adolescentibus nostris opus est, quum ad maturitatis aliquam spem pervenerint, ut ambitum universae doctrinae cognoscant, ut partes scientiae humanae, quibus fundamentis nitantur, quos fines habeant, quae adiumenta et praesidia discendi sint, intelligant, ne rudes huius scientiae, quum in academiam delati fuerint, suam illi quidem disciplinam factitent, sed ceteras literas nihil ad se pertinere arbitrentur. Haec institutio et philosophica est et literaria, qua ut bene praeparati adolescentes e scholis demittantur, nemo non optare debet.

Ignoscite, AA., quod, dicendi studio abreptus, a

Regis optimi laudibus ad hanc scholasticam disputationem devenerim. Incalescit enim animus, quotiens de gravitate muneris scholastici et de officio magistri cogitans et cum collegis coniunctissimis colloquens, quid Rex, quid civitas, quid literae a nobis postulent, recordor: et in hoc die festo concelebrando, quae sparsim antea obversabantur animo, ea coniunctim menti sese offerunt. Gestit haec schola et *hoc magistrorum collegium*, cuius iussu et nomine in hunc locum ascendi, Regi ostendere, quantopere coniunctis viribus omnes allaboremus, ut eius liberalissimam voluntatem sanctissimaque consilia de adolescentibus omni doctrina erudiendis adiuvemus. Neque veremur, ne labores nostri eventu destituantur. Vita nostra in obscuro versetur, sed splendeat memoria discipulorum probitate, fide, constantia, doctrina; sic Regi patriaeque, quod accepimus, largiter reddemus. Quumque nobis omnibus ita persuasum sit, neminem unquam fuisse regem civium suorum saluti tantopere deditum, quam Fridericum Wilhelmum IH.; consentaneum est, ut, quum semper, tum hoc die ardentissimis precibus Deum O. M. oremus, ut hunc Regem nobis salvum esse velit, et ad extremae senectutis terminum integris animi corporisque viribus servet. Sed si quando Deus illum naturae debitum reddere voluerit, at eundem animum, eandem erga cives voluntatem, regni heredi et heredibus inspiret, ne unquam hic populus virtutes regum suorum laetus praedicare desinat. Dixi.

---

# ADOLPH AENOTHEI LANGE

## ORATIO DE SEVERITATE DISCIPLINAE PORTENSIS<sup>\*)</sup>).

Quemadmodum per totum fere terrarum orbem, qua hominum vita ex ferarum immanitate emerit, certa loca vulgari usu exempta et sacris obeundis unice destinata reperiuntur, ita et in omnibus civitatibus legumlatorum consilio bene sapienterque institutum est, ut tempora certa diesve certi a reliquo temporum ac dierum ordine segregentur, et publici laboris vacatione, additisque solennibus ritibus et statis caerimoniis celebrentur, ita quidem, ut cives gravem aliquam cogitationem aut imaginem reive memoriam propositam habeant, quam tanquam omnium animorum conciliatricem cum pio et placido affectu amplectantur. Talem diem hodiernum nobis illuxisse, nobiscum tota Borussorum gens laetatur. Rediit enim anno vertente dies, quo in lucem et in spem publicam communemque laetitiam editus est ante hos LI annos *Fridericus Guilelmus III.*, Rex noster potentissimus et clementissimus, cui quod bene commodeque valenti fausta hodie contigit agere natalicia, merito in universae felicitatis parte collocamus. Etenim qui virtutem inter tot temporum hominumque corruptelas salvam cupit, qui iustitiam, moderationem, aequi-

---

\*) Habita d. 3. m. Aug. a. 1821 in schola provinciali Portensi natalicis *Friderici Guilelmi III.*, reg. Boruss., celebrandis, et postea edita in *Langii* opusc. quae curavit C. G. Iacob. Lps. 1832.

tatem, pietatem, nonne is laetetur, **salvum esse Regem**, omnis virtutis vere regiae pietatisque vere christianae cultorem ac vindicem; qui cognitum habet, quantum in honesta pace et in comodo rerum publicarum statu ad dignitatem prosperitatemque populi insit praesidii, nonne idem laetetur, **salvum esse Regem**, in cuius sapientia et fortitudine firmissimum sit contra omnes turbulentorum et facinorosorum hominum impetus propugnaculum; quis, qui parentum, vel mortuorum, natales sancte religioseque celebrare solet, hodie non gaudeat, Eum adhuc vivere et cecte valere, quem cuncta patria suum parentem veneratur? Nos vero si recte nobis pieque facere videmur, quod scholae nostrae natales suo tempore rite celebrandos censemus, num minus recte pieque facturi videamur, si festum habeamus faustisque ominibus prosequamur Eius natalem, cuius auctoritate haec schola viget et nova indies capit incrementa? Verum non opus est verbis, ubi res ipsa loquitur, non opus ulla cohortatione, ubi suus quemque sensus, sua quemque pietas ultro admonet. Regi igitur hic dies sacer esto, in Rege omnis nostra cogitatio ac cura haereat, pro Regis salute preces ad summum numen concipiuntur, pia vota nuncupantur. Quae ut tacite fieri possint, amor enim pietasque adeo non egent voce aliqua, ut saepius obmutescere malint, quam verborum vanitatem experiri, tamen velut Aegyptiaci Memnonis effigies orientis solis radiis percussa vocalem sonum sponte edidisse fertur, ita gestit communis affectus, hodierni diei regique nominis splendore quasi concitatus, expromere aliquam certe communis laetitiae declarationem.

Cuius publicae laetitiae pietatisque quod ego nunc interpretes prodeo, et in hac quidem concione,



in qua plures adesse video, quos vel personae gravitas vel eloquendi facultas longe me hoc munere reddidisset digniores, id nemo Vestrum erit, qui cupiditati alicui meae aut temeritati adscribendum existimet. Quamquam enim honorificum sane et invidendum duco, si cui liceat in virorum doctissimorum et honoratissimorum consessu et iuvenum humanissimorum corona, oblata praesertim tam grata tamque gravi opportunitate, publice verba facere, tamen idem ingenue et sine ulla oratoria simulatione aut dissimulatione, a qua me et natura mea et imperitia reddit alienum, profiteor, me nunquam tale quid ausurum fuisse, nisi nefas putassem, legi, quae ipsa me hanc cathedram hodie conscendere iussit, obsequi nolle. At etiamsi officii non tam sponte suscepti, quam lege impositi cogitatione in hac tenuitatis meae conscientia erectum me quodammodo et confirmatum sentiam, tamen adhuc magna cura et sollicitudo circumssistit, quid potissimum adferam, quod cum Vestris auribus, tum hac solennitate, augustoque Regis nomine haud plane indignum existimetur. Ac Regis quidem ipsius virtutes resque gestas celebraturo et pios sensus, quibus tota civitas hunc diem salutat, distinctius enarraturo latissimus dicendi campus aperiretur, in quo exsultare oratio posset, spiritu citius quam spatio caritura. Nam quis vel eorum, qui cupidius infestiusque de rebus nostris iudicent, negare sustineat, hoc Rege duce et auspice Borussiam ad id potentiae fastigium evectam, quod nunquam antea attigisset, ut una cum principibus, quos proceres quasi et antistites suos Europa colit, communi ac publico cultissimarum terrae gentium consilio intersit; quis, nisi insanus, neget, Regem nostrum postquam ingenti sua et suorum fortitudine

docuisset, Borussiae nomen non impune laedi, pacis artis ita curasse, ut laetior quam antea ex calamitissimino bello patria effloreat, rem publicam ita ornasse, ut, licet nondum omnibus bonorum expectationibus satisfieri potuerit, tamen ex his, quae iam instituta sunt, optima et saluberrima quaeque existura recte augurari liceat, artium literarumque studia ita fovisse, ut, utrum eius imperium plus ab iis acceperit, an iisdem attulerit decoris et adiumenti, difficile dictu videatur.

At si ulterius haec persequi vellem, verendum esset, ne aut nimis nota proferrem, aut idem fere mihi accideret, quod Phormioni Peripatetico (Cic. de orat. 2, 18) coram Hannibale disputanti, resque attingere conarer, quarum amplitudinem si vel caperent huius temporis angustiae, vim tamen et gravitatem mea quidem oratio, utpote hominis umbratici et ab omni republica remoti, attenuatura verius, quam exaequatura esset. Tentet scilicet Oceanum, quicumque navem habet malis, velis, antennis omnibusque armamentis instructam; nos, qui levi tantum cymba cum remulo utimur, littora legamus, et interiore gyro cursum caute flectamus.

Ad vos igitur, Adolescentes ornatiss., me potissimum converto, quibus per muneris rationem ita coniunctus vivo, ut maiore quadam cum fiducia ad vos loquar, praesertim si argumentum vobis proposuerim, quod neque a vestris rationibus neque ab hoc ipso tempore alienum videatur. Vos igitur orationi meae attentas aures praebituros, tum vestra modestia, tum locus ipse ac dies, quo vos alloquor, sperare me iubent; Te autem, V. A., quem regio iussu ac nomine nostris solennibus interesse laeta-

namque Rector huius scholae auctoritate, doctorumque gravissime, reliquosque Collegas omniumque ordinum AA. honoratiss. oratorumque, ut, si, quae dicturus sum, ad animas vestras explendos parum idonea, nec Vobis, sed iuventuti dici, intellexeritis, id in eam, quam modo significavi, partem accipiatis, meaeque infirmitati in vestra patientia meoque timori in vestra benignitate aliquod refugium ne denegetis. — Rediistis modo, Iuvenes cariss., feriis transactis, ex parentum et cognatorum amplexu in hanc disciplinam nostram, interruptos labores novo studio profligaturi. Erunt vestrum haud pauci, qui nunc liberiores vivendi rationem omnemque eam suavitatem, quam paterna domus habere solet, ademtam sibi conquerantur; erunt aliqui, qui urbanas delicias, hortorum amoenitates, epularum lautitias, scenicos lusus, symphoniarum cantus, sodalitiarum sessiunculas desiderant; erunt adeo, qui, quum denuo hanc scholam intrarint, non in scholam, sed in pistrinum se delatos putent, quibus Porta nunc non, qualis et est et habetur, alma mater, sed morosa et tetrica noverca videatur. Hos quidem dolores, si quibus unquam, tempore curandos liceret relinquere, sed cum praestet, ut Ciceronis (Epp. ad Div. 5, 16) verbis utar, quod est dies allatura, id consilio anteferre, neque expectare temporis medicinam, quam repraesentare ratione possimus, et quum a festiva huius diei laetitia, quod nunc imprimis respiciendum iudico, abesse debeat omnis animorum aegritudo, evellere eam ex animis vestris, quantum potero, saltem ita temperare conabor, ut

---

\*) Aderat *Hofmeisterus*, Regii, quod Martisburgi constitutum est, Regiminis in rebus scholasticis Consiliarius.

ne, quod ad utilitatem vestram institutum est, id in noxam, quod ad hilaritatem, in malum omen temere vertere videamini. Quod si mihi aliquantum contigerit, argumentum me tractasse arbitrabor, ut huic tempori ac loco accommodatum, ita et ipsius Regis persona, cuius beneficiis ut recte utamini hodiernus dies vos admonere debet, haud omnino indignum. Verum ad eam rem, quam persequi in animo est, auctoritatem adhibebo scriptoris, quem inter sapientissimos merito retulit veteris et recentioris aetatis consensus, *Senecae* dico, cuius sententiae quam sint ex ingenio excelso profectae, quam apte ad robur animo addendum concinneque prolatae, nemo vestrum ignorat. Scribit is ad Lucilium (Ep. 51), se Baias, urbem aquis calidis, et deliciis famosam, postero die, quam attigisset, reliquisse; illic enim tanquam aliqua licentia debeatur loco, plurimum sibi luxuriam permittere, effeminare animos amoenitatem nimiam, seriisque cogitationibus intentum loca seria sanctaque eligere debere, additque tum haec: „*Severior loci disciplina firmat ingenium, aptumque magnis conatibus reddit.*“ Hoc philosophi Romani effatum non unice de regionis indole, sed ampliore quodam, ut par est, sensu acceptum, quam recte ad Portam traducatur, vos sponte intelligitis, et magis etiam, opinor, intelligetis, si *quae sit severa disciplina, quibus rebus Portensis disciplinae severitas cernatur, simulque quantum in ea insit momenti ad ingenium firmandum magnisque conatibus aptum reddendum*, explicatius demonstravero. Adeste igitur animis et quicquid dixero, id nonnisi eo consilio me dixisse vobis persuadete, ut vos, quantum debeatis huic disciplinae, quam obtrectatores nonnulli rigidam, inhumanam, regulam monasticam dictitant,

quam haud raro vos ipsi servitii et iugi indignis nominibus compellatis, clarius mente perspicere atque sic inter *fortunatos*, qui *sua bona norint*, referri possitis. (Virg. Geo. 2, 458.)

Ex gravissimorum auctorum \*) sententia „disciplina nihil aliud est, quam ratio quaedam animos ad virtutis amorem vitiique odium adducens, et quum hoc ipso, tum adsuétude quadam liberali in officio homines continens; et duabus maxime rebus cernitur, primum *opinionibus* ad illud consilium accommodatis animo paullatim instillandis, deinde *institutiis* quibusdam solerter excogitatis partim ad illas ipsas opiniones, sparsas iam in animis, alendas et confirmandas, partim ad consuetudinem officii libenter et constanter faciendi inducendam.“ Si *severa* autem dici solent, quae medium quendam locum inter mollia et rigida, ludicra et austera, suavia et tristia tenent, quae nec corpori blandiantur, nec suis lenociniis animum enervent, neque vero eundem gravibus quasi ictibus percellant et in servilem metum horro-

---

\*) In disciplinae notione constituenda secutus sum Ernestum, cuius de ea re in praeclaro de privata Romanorum disciplina libello (Opusc. Phill. p. 33. sqq.) exstat sententia. Verum eadem fere iam dudum ante, quem ipse laudat, Plato praeceperat. De legg. I. p. 643. d. Ib. p. 644. b. Ib. p. 653. b. Ib. p. 659. d. Quibuscum in re ipsa consentiunt, qui nuper de hoc argumento scripserunt accuratius, velut *Thiemius* (üb. d. sittl. Ton auf öffentl. Schulen, im Deutsch. Magaz. Lpz. 1789. 3r B.) *C. F. Schulzius* (de disciplina Veterum tam Graecorum quam Romanorum cum ea, quae apud nos viget, composita. Hafn. 1791.) *Bernhardius* (Grundsätze der Disciplin in einem Gymnas., Ansichten üb. die Organisation der gel. Schul. Berl. 1818. p. 135. ff.) *Moschius*, (üb. Schuldisciplin in Gymnasien, in Rücksicht auf den Geist unsers. Zeitalters; Aufsätz. u. Reden. Frankf. a. M. 1821. p. 50 ff.) al.

remque prosternant, sed ita intendant, ut plane sui compos vires libere exserat, et exserendo augeat magis quam imminuat, et, ut paucis rem complectar, non philosophica subtilitate sed oratoria hac libertate usus, si ea severa dicuntur, quae cum summis, quae generi humano proposita sunt, bonis arctiorem aliquam, qualiscunque tandem illa sit, necessitudinem habeant, severam scholae disciplinam eam recte nominabimus, quae tum cavet, ne adolescentes corpore animove abutantur, tum efficit, ut eam, quae ad summa scholae proposita bona, i. e. virtutem et doctrinam ducit, viam, praeceptoribus vel non instigantibus, insistant. Nihil igitur tali disciplina fructuosius, nihil gravius, nihil sanctius; hanc, qui bene vident, in omni re scholastica et primum et secundum et tertium locum tenere arbitrantur<sup>\*)</sup>. Verum non cernitur, ut perverse statui solet, minacibus aut contumeliosis vocibus, non verberibus, ac ne legibus quidem iisque adiunctis castigationibus ac poenis, quanquam earum fundamento, nonnunquam et forma utitur, sed, ut iam significavimus, opinionibus quibusdam, quibus mature discipulorum animus imbuendus, et institutis, quibus est adsuefaciendus. Iam si apparuerit, versari inter nos eiusmodi opiniones, esse talia quaedam instituta, et si demonstratum fuerit, utraque esse ad severitatem composita, nemo Vestrum amplius dubitabit, quin in hac disciplina nostra quum reliquis, tum sibimet ipsi magnum sit ad virtutem et doctrinam consequendam paratum praesidium.

Multa apud nos, quae huc referri debent, longo

---

<sup>\*)</sup> Verba sunt Demosthenis, quanquam in re aliena v. Cic. de orat. III. 56.

tempore atque usu invaluere, quae si nunc omnia recensere vellem, facerem aliquid, quod multum taedium, exiguum fructum allaturum esset: satis erit, omissis iis, quae leviora et vulgaria videantur, capita rei, et quae nobis quodammodo propria haberi possint, tetigisse.

Inter eas autem opiniones, quibus magnam ad disciplinam nostram regendam vim inesse crediderim, primo loco commemorare lubet pervulgatissimam illam, ex qua *Porta benignissima* habetur, sive, ut loqui solent, *alma, pia mater* \*). At dixerit

\*) Neque inane, neque vero inutile nostris discipulis fore existimo, si quae bonae *Schoettgenius*, Portensis disciplinae quondam alumnus, *Analectis suis Portensibus* (Opusc. min. ed. Grundig. Lps. 1767. p. 265. sqq.) attexit, hoc loco inseruero. Postquam tria potissimum commoda ut Portae nostrae propria laudavit, quorum primum est, quod iuventus post preces matutinas lectione sacrorum biblicorum imbuetur, alterum, quod adolescentes strepitum et voluptates mundi mescentes grata laborum vicissitudine sic instituuntur, ut praecceptores non nimium fatigentur, et discipuli plus quam alibi proficiant, privatorum nimirum studiorum opportunitate data et necessitate imposita; tertium, quod studia ibi tractentur sine cura illarum rerum, quae ad victum procurandum pertinent, senou quodam ac desiderio quasi abreptus in ista verba erumpit: „O fortunatos nimium, sua si bona norint, Portenses alumnos! Mihi certe hoc vitae genus, postquam cum illa, quae antecessit et secuta est, vivendi ratione contendi, ita semper arrisit, ut me felicissimum esse putem, si per totum vitae spatium illa vel simili frui licuisset. Hinc Porta somniorum partem mihi conficit; versor enim in coenaculo, in templo, in peristyllo, inter libellos, inter commilitones, conscendo montem animi gratia, pango carmina, quae festo proximo prodantur, desudo in oratione, qua Musis Portensibus vale acclamandum. Requiritur autem ibi animus disciplinae et ordinis patiens, quique non includatur, sed sua sponte locum adeat, quem alii perperam carcerem existimant, ingenia scilicet ferociora et Marti potius, quam literarum studiis nata.“ Haec autem scripsit 40 annis postquam ludam Portensem re-

quispiam; quid, obsecro, tibi nunc de disciplinae severitate disputanti cum matre? Adeone te fugiunt matrum ingenia, ut, quam procul abesse soleat maternus amor ab omni severitate, ignores? Audio. Verum non attuli maternam benignitatem eam, in qua leves improbique adolescentes ignaviae suae petulantiaeque perfugium quoddam quaerant et asylum; verum eam, per quam pauperes levatam suam inopiam, humili loco nati cum nobilibus exaequata sua iura, male ab aliis, ab ipsis forsitan parentibus, quamquam pudet dicere, sine sua culpa habiti agnitam suam et defensam innocentiam, omnes denique vulgaribus curis et negotiis sese exsolutos totosque litterarum studio traditos gaudeant; eam volo benignitatem, cui diligentia et bonis moribus gratiam referre omnes omni opera elaborent. Nolite igitur putare, Portam esse matrem, quales vulgo esse matres solent, delicatulo puero quidvis patenti faciles, pervicaci obsequiosae, commissa excusanti, iterum iterumque peccanti exorabiles; sed altiorem quandam Spartanæ matris, aut talis, qualem Corneliam, Gracchorum matrem, fuisse accepimus, imaginem animo informate, eandemque Portam referre

---

liquerat. Eodem animi affectu, eademque sempiternae pietatis sponione Portae et collegis suis ultimum vale dicit Am-Ende „Memoria Inspectorum Portensium“ Vitemb. 1748. p. LXXX. sqq. Quae *Klopstockius*, quae alii Portensis disciplinae alumni, et nuper admodum, pietatis suae ediderint documenta, ea, quum omnibus, quorum scire res nostras interest, satis nota sint, non opus est commemorare. Profecto si qua in schola, in hac comprobata est egregia Ciceronis vox: Quis est nostrum liberaliter educatus, cui non magistri sui atque doctores, cui non locus ille mutus ipse, ubi alitus aut doctus est, cum grata recordatione in mente versetur? (p. Planc. c. 33.)



vobis persuadete \*). Quo igitur amore dignos filios complectitur, fovet, amat; eodem contentu atque odio indignos aversatur, amovet, execratur, hoc habens exploratum atque decretum, nullam vere constare benignitatem in bonos, nisi coniunctam cum severitate in malos. Quod si recte apud vos perpenderit, illam matris Portae praedicationem tantum abesse, ut disciplinae severitati officiat, ut etiam haud exiguum pondus ei addat, utique concedetis.

*Porta itidem est strenua*, quae altera illarum opinionum est, de quibus nunc dicere institui. Ea quidem omnium animos ita pervasit, ut in ore omnium sit illud a plerisque vestrum, nisi vehementer fallor, crebro auditum: „quicumque Portae ignaviam deponere, diligentiam colere non discit, is nunquam discet“ \*\*). Quum enim opus nostrum, ut inter apum

\*) Spartanarum matrum quale fuerit ingenium, satis ostendunt illa, quae Plutarchi nomine feruntur, Lacenarum Apophthegmata, Ael. V. H. XII. 21. Nep. Paus. 5. De Cornelia eiusque in educandis filiis diligentia et gravitate Plutarchus Tib. Gracch. 1. et C. Gracch. 19. Addi poterunt, quae attuli in Act. Sèm. Philolog. Lips. Vol. II. p. I. p. 177 sqq.

\*\*) Adscribam, utpote ab h. l. non aliena, quae de I. G. Graevio narrat P. Burmannus in or. in Graevii funere dicta. (v. Graevii Praef. et Epiatt. ed. a Fabricio. p. 599 sqq.) „In patria urbe (Numburgi) postquam primis litterarum elementis imbutus esset, ad Latinas Graecasque accipiendas in celebre tota Germania gymnasium Portense mittitur. Saepe defunctum narrantem audivi, quam egregia cura et disciplina laudabili teneriores ibi formarentur mentes. Electores enim Saxoniae, discussis falsorum errorum tenebris, ex libidinis latetibus ignavissimos ventres, et sola ignorantia turgentes monachos extraxerant, et coenobia regiis vectigalibus dotata in bonae mentis palaestras converterant. Inter ea celeberrimum erat, quod ab Udone Naumburgensium Episcopo ad Salam conditum Porta Maria dicebatur. Hunc ludum omnibus popularibus communem sapientissimi Principes, in quem para-

sedulam gentem, continuo ferveat, publico et privato labore ita alternato; ut, quae privatim aguntur, pu-

tes felicioris ingenii pueros sumtu publico erudiendos mitterent, aperuerunt. Nullo sanguinis aut fortunarum discrimine Comitum, Baronum et Civium filii ibi severissima lege proficere iubentur. A quinta hora matutina, sive aestas dierum spatia extendit, sive hiems contrahit, ad solem occidentem continuo labore et exercitatione, modica modo intermissione data, occupantur. Non crudelis matrum indulgentia, non prava patrum facilitas flexibilem et proclivem ad ignaviam et otium iuventutem corrumpit. Credite, quotquot hic adestis, Patres, non mihi, sed omnes aevi sapientibus viris, sed ipsis proavis vestris, antiquae severitatis et disciplinae hominibus, non aliam huius seculi infelicitatis et bonorum virorum penuriae causam esse, quam perversam illam lenitatem et educationis molliem, qua, dum puorum tergis et corporibus metuimus, secure mentem corrumpi permittimus; dum stulta nos torquet sollicitudo, ne delicati nostri filioli assiduo labore studiorum taedium et fastidium capiant, facile illos patimur deliciis et voluptatum illecebris infici et immergi. — Non ita parentis Graevii nostri erat institutum, qui prudentissime, si qua difficultas tenerimo puero esset exhaurienda, brevi hanc in consuetudinem abituram iudicabat. Sed vix egebat ignei spiritus puer his calcaribus, qui sponte ad industriam inclinans non contentus praescripta a magistris pensa absolvisse, in aeram noctem non iussus vigilabat, ut, si ingenio acriori forte pauci condiscipulorum illum praecellerent, ille omnes labore et diligentia superaret. Saepe senem suavissima illius temporis, quod in eo gymnasio egit, recordatione delectatum memorare memini, maximam noctis partem Homeri et Hesiodi lectioni se impendisse, tantamque inde graecae linguae facultatem adeptum, ut sine molestia versus ad istorum principum poetarum exemplar funderet. (Huius quidem facultatis specimen, graecum carmen mille paene versuum hexametrorum, inscriptum: „Tropaeum populi dei a Midianitis reportatum,“ quo Portae a. 1649. d. VIII. Maii valedixit, asservatur adhuc in bibliotheca Portensi.) Hinc quoque consuetudinem illam lucubrandi, quam constantissime ad fatalem usque horam servavit, sibi natam dicebat; ita ut a gymnasio dimissus ab eius moderatore hoc singulare diligentiae testimonium tulerit, illum non modo diurni laboris descriptione feliciter et gnaviter functum, sed lucubrationum etiam fumos bibisse.“

blice quodammodo agi videantur, leges ipsae praeter pauculas horas recreationi condonatas nullum tempus praeterlabi sinant, quod non litteris liberalibusque artibus aut vere consecratur, aut consecrari certe debeat, quum vel ii dies, qui otio destinati videntur, quamquam a somno translatitium nomen nacti, non somno, non otio inerti, sed privato eique assiduo labori dentur, effectum est, ut, licet multi, quod nequam diffitemur, hic ignavi fuerint, ignavia tamen ipsa nunquam sine contemptu esset, nedum in aliqua laude et dignitate, suusque vel apud pigros impigris et strenuis constaret honos. Addite, quod, quum nihil strenue agi et perfici possit, quod non suo ordine agatur, is autem legitimus huic scholae sit et continuus, ab hoc ipso illa, de qua loquimur, laus accessionem haud spernendam nacta est, ita quidem, ut tumultuaria et praepostera industria in Portensis disciplinae alumnum vix cadere posse videatur.

Verum tertia quaedam eaque adhuc altior opinio animis hominum insidet, eamque non praetermittendam duxi, licet inde apud alienos haud raro exorta sit nobis invidia et obtrectatio. *Portam* enim *doctam esse*, tradita est persuasio, quam qui induerunt, iidem solent credere, neminem, qui non iam satis bene sit litteris artibusque instructus, huc posse intrare et qui non plane iisdem sit imbutus et ad altiora academiae studia capessenda paratus, hinc exire neminem. Neutram hanc laudem ad nos totam pertinere, adhuc certe non pertinuisse, experientia satis docet, neque tamen doctrinae opinionem aliquam, non precariam, sed meritam eripi nobis sinamus. Quod ne cui arrogantius confidentiusque dictum videatur, cuiusmodi sit illa opinio et unde nata, considerandum. Maiores nostri, qui hanc scholam con-

diderunt, quamquam a liberaliori iuventutis institutione plures artes atque doctrinas, velut historiam, geographiam, physicen, mathesin imprimis, cui ad acuendum iuvenile ingenium non potuerunt quin mirificam vim tribuerent, nequaquam excludendas putarunt, tamen eam maxime in graecis latinisque litteris versari debere statuerunt. Aliterne vero fieri illo tempore potuisse existimatis, et his praesertim Saxoniciis in terris, ubi tum inter sacrorum restaurationem quam maxime haec ipsa studia ferbuerunt? Neque vero illi errasse aut temere id instituisse censendi sunt. Etenim et nostra adhuc aetate, qua et recentiorum artes et litterae in immensum creverunt, quo quis est ad verum videndum perspicacior, quo quis omnem eruditionis ambitum cursumque emensus est certius, tanto etiam clarius certiusque sibi persuasum habet, sine graecarum latinarumque litterarum cognitione esse quidem posse multiplicem intelligentiam, subtilem etiam variarum rerum scientiam, veram autem solidamque doctrinam nullam. Ab his igitur initiis posteaquam repetendam, in his quasi fundamentis ponendam omnem docendi rationem quum in aliis scholis tum in hac veteres curassent, exorti sunt subinde oratores novi, stulti, adolescentuli (Naev. ap. Cic. Cat. 7.), qui se veterno illo scholas purgatuos, novasque ac breviores vias ad veram humanitatem ostensuros gloriantur. Hac novarum rerum labe, qua per omnem Germaniam multae scholae plus minusve infectae sunt, Portam aliquanto tutiorem ac paene immunem non dixerim, utrum fortuna quaedam, an solitudo sua, an magistratuum magistrorumque prudentia praestiterit, hoc certe intelligimus, inter singularia illa, quibus providentia divina eam per plura saecula orna-

rit, beneficia et hoc referendum, quod, antiqui moris tenax, omnem istam noviciam sapientiam et praeclarrissima illa iuventutis rectius docendae reperta indignabunda repulit. Non nescimus, et recentissima aetate adhuc esse, qui scholam nostram per contemptum *latinam* Portam appellent \*), sed dum maneat nobis aliqua doctrinae laus, opinatorum istorum contemptum tanto aequius ferre licebit, quo gravius ipsi illustres viri, qui res nostras regia auctoritate moderantur, haec studia in ludis litterariis non modo esse retinenda, sed, quatenus et quibuscunque modis fieri possit, augenda et corroboranda, pronuntiarunt, et quo pluribus iam documentis, id se velle, publice testatum fecerunt. Vestrum autem est, adollescentes carissimi, hanc, si qua adhuc nobis superest, doctrinae opinionem, ut reliquas, de quibus diximus, ad dignitatem scholae omnes honorificentissimas, ad optima quaeque consecranda commodissimas, ad omnem denique disciplinae severitatem retinendam gravissimas ita tueri, ut non modo auribus eas, sed et animis imbibatis, non modo ore circumferatis, sed moribus etiam omnique studiorum ac vitae ratione exprimatis, et hac via eas, tanquam rem pretiosissimam ex maiorum haereditate acceptam, accurate religioseque conservatas ad posteros propagetis.

Verum ne in meris opinionibus disciplina nostra versari putetur, accedamus nunc ad *instituta* quaedam, quibus eam non minus quam opinionibus niti

---

\*) Hoc nomine per contemptum adpellat Portam *Fridericus* quidam *Iarikius* (*Allgem. Anzeig. der Deutsch.* 1817. n. 316.). Eiusmodi opprobriis, si tanti videantur, verba *J. J. Hottingeri*, quae in eius oratt. leguntur, opposuisse sufficiet. (*Rectoratsreden.* Zürich. 1813. p. 152.)

iam indicavimus. Quae quum satis multa sint, quae enumerare et longum est et a nostro consilio alienum, ad ea potissimum animum orationemque applicare convenit, in quibus severitatis vim quandam inesse contendimus.

Primo loco commemorare iuvat, quod, etsi inter beneficia rectius quam inter instituta referri videatur, instituti tamen alicuius vim plane ac potestatem obtinet, *loci ipsius, in quo nostra schola sita est, ingenium.*

Prudenti sane consilio, felici certe eventu factum est, ut idem locus, quem monachi vigiliis suis precibusque aptissimum selegissent, scholae constituendae destinaretur. Ipsa enim haec reductae nostrae vallis solitudo dici vix potest quantum valeat partim ad ingenium excitandum, partim ad vitam omnem sobrie casteque componendam. Optime vetus quidam scriptor (*Val. Max. 3, 6, 1.*): „Vegeta et strenua ingenia, quo plus recessus sumunt, hoc vehementiores impetus edunt.“ Quo autem acrius adolescentum ingenia eo feruntur, ut extrinsecus obiectis imaginibus distineri, quam secum habitare malint, quo cupidius nova semper oculorum auriumque blandimenta anquirunt, ita ut prae iis, quae docta subtilique cura discenda et sola ingenii eaque acerrima intentione pervestiganda proponuntur, ieiuna, aspera, tristia habere soleant, tanto cautius iis prospectum erit, si ab omni urbano tumultu, a forensi clamore, armorum strepitu, a quotidiana circulatorum assiduitate et frequentia remoti, vitam tranquillam agant et solitariam. Quod si viris aliquando secessu opus est, ut animum externarum rerum ictu atque tumultu oppressum erigant, distractum colligant, remissum eo, quo volunt, intendant, si, quod Pe-

trarca \*) refert, Bernhardus doctrina non minus quam sanctitate conspicuus, dicere solebat, „omnes, si quas sciret, litteras in silvis et agris didicisse, non hominum disciplinis sed meditando et orando, neque se ullos unquam magistros habuisse, praeter quercus et fagos,“ si *Ille ipse*, quem omnis sanctitatis summum exemplar colimus, de gravissimis rebus meditaturus saepius in solitudinem abire ibique permultum temporis transigere consuevit, quid tandem adolescentibus litterarum sacra colentibus utilius fore existimabimus, quam illam ipsam, qua fruimur, solitudinem? Addite, quot in urbana illa frequentia vitiorum irritamenta, quot parsimoniae, frugalitati, castitati, moderationi, pietati, ingenuae morum simplicitati structae lateant insidiae, ob oculos vobis ponite exempla, heu, nimis multorum iuvenum, qui, ad optima quaeque nati, simul illis lenociniis irretiri coepti sunt, in peius ruerunt, tandemque misere perierunt; et vobis firmissimum adversus virtutis vestrae hostes munimentum, nobis severioris disciplinae gravissimum instrumentum in hac nostra solitudine paratum ipsi congratulabimini. An vero Pythagorei, quorum disciplina celebratissimum per totam antiquitatem nomen habet, meditationibus suis et exercitationibus loca quietata et sacra selegerunt; Plato se cum suis in academiae silvas, Aristoteles cum Alexandro puero curae suae tradito intra Nymphaei alicuius umbracula abdiderunt: nos commodissimum nobis studiorum recessum datum doleamus \*\*)?

\*) De Vita Solitaria I. II. Tract. III. c. 14. Addit is haec quod ideo libenter refero, quia si quid et mihi nosse datum esset, idem de me vere dicere vellem, et nisi fallor possim.

\*\*) Cf. Iamblich. de vita Pyth. c. XXI. p. 209. ed. Kiessl.

Quotiescunque autem in hunc locum deferor, toties recurrit divinus ille sermo, quem de cura adolescentum publica Isocrates \*) in Areopagitico instituit, ubi plura de corruptis iuvenum suae aetatis moribus conquestus, quanto veteres istis meliores fuerint, edocet. „Non illi, ait, in aleatoriis tabernis, neque apud tibicinas, neque in his conventiculis, in quibus nunc integros dies consumunt, tempus quondam terebant, verum in studiis, in quibus essent collocati, remanebant, qui principem in iis locum tenerent, admirantes et aemulantes. Adeo autem forum fugiebant, ut, si vel aliquando illud transire coacti essent, multo cum pudore modestiaque hoc facere viderentur. Senioribus autem contradicere, aut opprobria fundere, atrocius existimabatur, quam nunc in parentes peccare. In caupona vero edere ac bibere, ne servus frugi quidem unquam ausus esset; gravitatem prae se ferre studebant, non scurras agere; ac dicaces, quos nunc ingeniosos appellant, illi infelici sorte natos habebant.“ Haec Isocrates. Videtis, quali disciplina optimo olim et florentissimo tempore Athenienses iuvenes usi fuerint. Haec igitur

---

*Academiae silvae* vel ex *Horat. Epp. II. 2. 45.* notae, cfr. *Voyage du jeune Anachars. II. 7.* De *Nymphaeo Aristotelis* v. *Plut. Alex. c. 7.*

\*) C. 18. in quo pro *ὁμιλοῦντες*, quod est in cod., legendum videtur aut cum *Coraio καθομιλοῦντες*, aut cum *Valecnario*, quem secutus sum, *ζηλοῦντες*. Gravius adhuc orator in aequales suos comparata veteris disciplinae severitate invehitur *Orat. de permutatione p. 23. ed. Orell.* cfr. *Bergm. in ed. Aeropag. p. 142.* — Haud abs re erit, cum his comparasse, quae 7 fere sacculis post Greg. Nazianzenus de vitae genere refert, quale in eadem Athenarum urbe iuvenis cum *Basilio Maguo*, amico suo et sodali, literis operam dans sectatus sit.



si et vobis dicta existimaveritis, nunquam committetis, ut, quod illi in urbe litteratissima omnibusque pulchritudinis copiis affluente diligentissime caverunt, id vos perruptis, quos et lex et locus ponunt, limitibus, in hac nostra solitudine agere velle videamini.

Ac non vereor, ne quis hoc loco tritam illam mihi cantilenam occinat: „Vultis vero iuvenes omni vitae iucunditate privare, vultis monachorum ritu vivere.“ Frustra igitur natura omnes suas dotes circumcirca explicuisse, frustra omnes suas copias, quibus allekti tot viatores vel amoenissimis terrarum oris peragratis gressum inhibere, et inter ipsam itineris festinationem admirabundi commorari solent, liberalissime effudisse videbitur? Nihil igitur oblectamenti adferunt praeterlabentia illa flumina, amoenissima illa rura, pascua, vireta per totam vallem dispersa; nihil colles pomis vitibusque obsiti, ac nemora avium concentu canora, nihil montes ingenti arborum proceritate decori, nihil inde longe lateque patens casarum, villarum, vicorum, urbis, scholae ipsius prospectus? Non igitur viae regiae, quae disiunctissimas et celeberrimas orbis nostri partes quasi vinculo quodam copulat, frequentia, non, quam in agris colendis, in sale coquendo, in lignis per flumina deducendis expromi videmus, industria ac sedulitas ulla oculos varietate pascit? Desieruntne turres illae prisca religione sacrae, illa arcium hic illic circumiectarum rudera gravissimam eandemque suavissimam vetustatis memoriam revocare? Adeone obtorpuerunt nostra ingenia, ut, quae iam per plura saecula tot iuvenum animos sacro quasi ardore inflammaverint, facemque quum ad aliarum artium optimam, tum ad sacrae profanaeque poëseos

studia praetulerint, ea nunc nobis stent muta, inertia, inanima omnia \*)? Verum absint mala verba! nullum amplius, ne iniuriam vobis inferre videar, dubitationi locum relinquam, quin vos solitudinem loci amoenitate eiusdem et commoditate abunde quasi compensatam sentiat.

Neque vos monachorum more vivere aliquis loquatur, nisi nesciat aut dissimulet, vobis loci amoenitatibus fruendi satis largam et crebram copiam fieri; et praeter varias alias iucunditates non modo anniversariam parentes cognatosque revisendi et apud eos non intra paucos dies, sed per plures hebdomades genio plane indulgendi opportunitatem concessam, verum etiam per totum annum, quo remotiores ab hominum turba sitis, tanto cum commilitonibus et amicis coniunctius vivere licere, qua conver-

---

\*) E multis, quae hanc in rem proferri possent, testimoniis versiculos, quos *Erdm. Neumeisterus*, haud ignobilis suae aetatis poeta, ad amicum quendam scripsit, licet pietate magis quam elegantia, animique magis quam stili simplicitate placituros, legisse haud omnino pigebit. v. *Götze Erzählungen v. Gelehrten, welche in Pforte studiret.* Lpz. 1721. S. 43. ff. Poesin in Porta floruisse et adhuc florere, notius est, quam eandem iam ab ipsis scholae initiis floruisse. Neque vero dubitari poterit, quin praeter alia, quae in oratione commemorata sunt, momenta ad haec studia excitanda et propaganda multum contulerit primi Rectoris *Io. Gigantis*, cuius hymni sacri etiamnum hic illic canuntur, auctoritas et exemplum. Exstat in hanc rem disertum *Trauboti* cuiusdam testimonium, qui in *Elegia Dav. Peiferi Caesaribus Turcicis* Bas. 1550 adnexa nobilis sui temporis poetas recensens haec habet:

Docte *Gigas*, celebres inter non ultime vates,

Cui debet, quicquid nostra *Thalia* potest,

Te, memini, *Portae* vixit Rectore *poesia*,

Et disciplinae pulchrior ordo fuit.

*Traubotus* primo scholae anno inter alumnos receptus est, de quo vide *Chronic. Portense* ed. Schamelii. Lps. 1739. II. p. 190. falso tamen ibi legitur nomen *Traubrod*.

satione et familiaritate, si honesti et decori sensu regatur, nihil posse cogitari aut fingi, quod ad fructum sit suavius, et ad usum salubrius, quicumque recte sapiunt, uno ore omnes fatentur. Nota est Portensis amicitia, quam qui appellaverit, is teneram, integram, intimam, talem postremo praedicaverit, quam Quintilianus (1, 2, 20.) dicit „ad senectutem usque firmissimam durare, religiosa quadam necessitudine imbutam, quum non sanctius sit sacris iisdem quam studiis initiari.“

Neque vero nos fugit, in solitudine etiam, velut in insula ista Sirenas, latere quasdam flagitiorum illecebras; sed spes est fore, ut, quemadmodum scite finxerunt veteres, Sirenas a Musis certamine victas et misere dilaceratas, ita et vos sancta litterarum studia ab hac vitiositatis foeditate defendant, et, si vel haec incerta sit, ut ipso pudore, omnium cupidinum moderatore, muniti non aures modo, verum etiam animos contra ista incantamenta obturetis \*).

Iam vero cum largiendum sit, in solitudine minus id valere, ut adsit aliquid, quod prodesse, quam ut absit, quod nocere queat, et primariam eius vim magis in contemplatione quam in actione versari; praesto est aliud quoddam nostrae disciplinae institutum, saluberrimum profecto, et si quod aliud actuosissimum, idque in *obedientia praestanda* positum arbitramur.

Obedientiam, quae quavis in schola, quin familia ac domo, praestanda sit, inter singularia huius scholae instituta referri, nemo mirabitur, nisi qui eius-

---

\*) cfr. Paus. IX. 34. Etymol. et Steph. de urb. v. *Ἀπτακα*. Schol. ad Lycophr. v. 653. Winckelmann Mon. ined. n. 46.

dem interiorem formam ac descriptionem minus habeat cognitam. Nos quidem novimus, per nostrae disciplinae rationes requiri hic obedientiam aliquanto quam alibi acriorem, legibus adstrictiorem et non certis intervallis, intermixta quadam, prout libuerit, agendi licentia, praescriptam, sed uno tenore continuatam, ut nullum tempus sit, quo non certae alicui legi obtemperari debeat; vicissim eam ad aetatis studiorumque progressus ita esse temperatam, ut in commodis quibusdam et ornamentis, quin in legitimo quodam imperio, deinceps proposita habeat suum incitamenta, tum levamenta. Accedit, quod, quum alibi nullae frequentius quam de iuvenum asperitate audiantur querelae, quum undique illud personet, lascivientem iuventutem nunc omne imperium detrectare, omnem auctoritatem parvi pendere, nostrae disciplinae alumni — non loquor de pervicacibus aliquot ingeniis omnilegi atque auctoritati reluctantibus — ita de obedientiae huius praestandae necessitate persuasum est, ut, ea sublata, rem Portanam stare non posse nobiscum consentiant, moribus etiam et factis se in hunc modum sentire, ostendant. Quod quidem optime facitis, adolescentes cariss., et rectissime. Magnum enim ac prope dixerim, immanem errorem committunt ii, qui, ubi de obedientia audierint, turpia omnia, sordida et il-liberalia, nihil nisi vim, vincula et carcerem, ne dicam ergastula et manicas atque pedicas, quidquid denique servitium aut captivitas indignitatis habet, statim cogitent. Obedientia si ad ius et leges, non ad imperantis libidinem sit attemperata, si sponte exerceatur, non minis ac poenis extorqueatur, tantum abest, ut nos in servilem conditionem abiiciat, ut ea demum et ea sola nos in libertatem vindicet,

verissimeque dictum illud a Cicerone \*) sit, „legum nos esse servos, ut liberi simus.“ Sic se res habet, adoll.; at, quam late illa pateat, attendite. Non nunc dicam, ne oratorie magis, quam vere loqui videar, omnem totius mundi fabricam, corporum coelestium ratos immutatosque cursus, certas anni vicissitudines obedientia constare, et vel nubium meatus fluminumque lapsus, quin maris non modo mirificam illam reciprocationem, sed et fluctus atque procellas eadem regi ac moderari, non dicam, ferocissima ipsa animalia, quo plus spiritus habeant atque docilitatis, eo, si obedire didicerint, propius accedere ad humanam dignitatem atque praestantiam, — at quid aliud artifices atque poëtae, qui uni omnium et sunt et habentur liberrimi, faciunt, quam ut luxuriantem atque huc illuc vagantem ingenii vim intra certos limites coërceant, certisque legibus parere iubeant, quid in pugna militum vel summam audaciam praestituram putatis, nisi imperatori dicto audierint, ecquod aliud elogium CCC illi Spartani \*\*) monumento suo inscribi voluerunt, quam se legibus patriae obtemperasse; quid Romani acerrimi publicae libertatis defensores altius animis infigendum curaverunt, quid acerbius vindicandum, quam contumaciam, adeo ut patres \*\*\*) ipsi suos filios, rebus vel fortissime et prosperrime, sed contra publica iussa gestis, extremo supplicio cum optimi cuiusque adprobatione adfecerint; ac ne haec ex ethnica unice disciplina hausisse videar, et ut uno exemplo

\*) Or. p. Cluent. 53. Inscripta sunt haec verba super sel- lam Ducis in Curia Magna Venetiarum. v. Hammer Zeich- nungen auf einer Reise etc. Berl. 1821. S. 222.

\*\*) Analect. ed. Brunck. I. 131. XXIV. Cic. Tusc. I. 42.

\*\*) Ofr. Liv. VIII: 7. 8. Sallust. Catil. c. 52.

complectar omnia, nonne, qui de coelo descendit, verae libertatis vindex futurus, omnem suam gloriam in eo tantummodo se ponere ipse professus est, ut per totam vitam et usque ad mortem cruentam patri suo coelesti obediret?

Hinc vobiscum reputate, quam sit alta, quam generosa, quam divina res, quam propriam nobis gratulamur, obedientia, omnique opera et labore eo enitimini, ut ne per vos Portae aliquid suae in hoc genere laudis detrahatur. Hanc obediendi consuetudinem ac modestiam nacti, credite mihi, animos vestros non frangetis, sed corroborabitis, non alieno arbitrio vos obnoxios reddetis, sed vestro emancipabitis, nihil de nostra laude ac fama derogabitis, sed multum ei apud bonos et sapientes addetis, denique, quo prioniores nunc in obsequium discipuli sitis, tanto vos spes est meliores, tanto schola, patria, Rege digniores cives aliquando futuros.

Verum enimvero si vel optima recte sentiendi agendique praesidia suppeditasset nostrae disciplinae severitas, multum tamen in se desiderari pateretur, nisi excitaret in animis adolescentum vim quandam, quae eos ad illa promte capessenda impellat, efficiatque, ut, quicquid faciendum sit, id libenter faciant, non sibi, sed aliis se genitos, non suam rem, sed a deo ipso traditam sibi ac commissam gerere se putent, ut altioris suae originis sibi conscii magis magisque animum a corporis contagione avocare, humana contemnere, divina consecrari discant; nisi excitaret illum sensum in animis, excitatumque foveret, a quo pietas in scholam, in parentes, in magistros, patriam ac Regem emanat, postremo nulla propemodum disciplinae esset efficacia, nulla severitas, nisi accederet, quo om-

nia huius scholae instituta contineantur, aliquod vinculum, quaedam, qua sanciantur, auctoritas.

De *religione* me nunc loqui, quivis vestrum vel me non dicente intellexerit, cuius potestatem et dignitatem si nunc laudibus efferre vellem, prorsus facerem inepte. Id autem licebit pronuntiare, disciplinae nostrae severitatem nulla remagis commendari, quam quod *sociam, immo antistitem quasi suam adsciverit religionem*. Pulchre a veteribus \*) praeceptum est „imperium facile his artibus retineri, quibus initio partum sit.“ Iam quoniam non modo disciplinae nostrae imperium, sed totius scholae institutum a religione quondam profectum scimus, nihil insolens aut absonum dixisse videbor, si vel hinc contendero, ad tuendam disciplinae gravitatem, ipsamque scholae salutem nihil adeo valuisse, nihil adeo valiturum, quam religionis vim et sanctimoniam. Deus igitur avertat, ut onus vobis videatur, quod summi, quo vos Porta impertire potuit, beneficii loco habendum erit, ita a maioribus sapienter ac pie sancitum esse, ut omnia nostra acta, a solennibus grati erga deum animi testificationibus piisque precibus exordiantur, et in easdem desinant, ut loca sacra pateant suo tempore vobis adeunda, ubi cum reliqua ecclesia consociati animos piis sensibus perfundatis, ad rerum coelestium contemplationem attollatis, omnibusque, quae christianum hominem decent, officiis rite perfungamini; ut nihil fere publice apud nos communiterque factitetur, nisi adhibita divinae rei cura ac caerimonia. Tanto magis habetis, quod nobiscum gaudeatis, scholae nostrae Praesides et Curatores bene gnaros, quantum et in

---

*Sallust. Cat. 2.*

externo cultu ac decore ad religionem animis informandam sit momenti, ea, quae ad sacra nostra et solennia exornanda pertineant, diligentissime procurare, cuius liberalitatis testis et est et erit in posterorum memoriam hic ipse dies, quo piis nostris vocibus pro Regis salute effusis novos, in hoc quidem loco nondum auditos, *organorum pneumaticorum* concentus misceri audimus.

Fuit, opinor, Io. Christianus I. \*) Elector Saxoniae, qui consiliariis de hac schola tollenda redditibusque eius fisco addicendis aliquid suadentibus respondisse fertur: „Ne verbum amplius de hac re; haec schola pietatis est officina, quam violasse piaculum sit.“ En vocem christiano principe vere dignam, sed quae itidem nos admoneat, non modo, ut Regem nobis regiosque consiliarios divino beneficio contigisse gratulemur, qui et religioni et Portae insigniter faveant; verum etiam ut in hac pietatis officina studiose ipsi elaboremus, nostroque exemplo comprobemus vere illud symbolum \*\*) Portae inscriptum: „Sanctus est ille locus, non est hic aliud, nisi domus dei, et porta coeli.“

Si qui autem vestrum sint, adoll., quorum animos minus haec dicta tangant, vos credite, praeiudicatam illam, quam temere nunc sequimini, opinionem non in omne tempus mansuram. Erit, erit aliquando, si deferbuerit iuvenilis illa in contemptum rerum divinarum prona insolentia, si videritis ho-

\*) v. Engelhardt Erdbeschreibung von Kursachsen. B. 5. S. 222. (Monendum est, illud dictum ad Misnensem etiam et Grimmensem scholam pertinuisse.)

\*\*) In sigillo bibliothecae Portensis, ex Gen. XXVIII. 17. Addita est manus ex porta protensa et pedum abbatiale tenens.



mines purae castaeque religionis observationi a teneris non adsuefactos aut misere fluctuare nusquamque habere, ubi certum pedem figant, aut foedarum superstitionum praestigiis irretiri; erit, inquam, ubi gaudeatis, vos in religiosa hac nostra disciplina saniora et certiora iam mature edoctos; si fortunae iniquitatem, hominum perfidiam experti fueritis, si molestias vobis in dies augeri senseritis, carissima quaeque eripi, humanas res omnes fragiles esse, caducas, inanes; erit, ubi humili grataque mente deo acceptum referatis, quod Portae iam didiceritis cum laetitia vivendi rationem et cum spe meliore moriendi\*).

Habetis iam, adoll. carissimi, explicatam meam de Portensis disciplinae severitate sententiam; accepistis, quantum illae opiniones de Portae *materna benignitate, strenua industria, doctrinae laude, quantum haec loci solitudo, quantum obedientia, quantum religio* ad omnem Vestram vitam moderandam et valeant et valere debeant. Nec levia sunt, nec facilia, fateor, quae vobis imponantur, quae a vobis expectantur. Verum non mihi oratio cum desidia, sed cum virtute, non cum iuventute improba, dissoluta, vulgari, sed cum honesta, sed acri, sed in spem patriae crescente. Neque ulla est sine sudore virtus, et quicquid pulchrum, id operosum. Non agri colendi facilis via, in maris terraeque viscera descendendum, ubi margaritas et pretiosa metalla quaeras; culmina montium superanda, ubi lato circumiacentium locorum prospectu frui velis; arbores, quo magis ventis atque imbribus expositae,

\*) Sunt verba Cic. de legg. II. 14. ab Eleusiniis ad sanctiora nostra mysteria traducta. De doctrina in Eleusiniis tradita cfr. inprimis Isocr. Paneg. 6. quem locum illustravit Creuzerus in Symbolik u. Mythol. Vol. IV. p. 506. sq.

Bibl. script. A. I. 1.

tanto validiores, neque in umbra et deliciis, sed in pulvere ac sole corpora obdurescunt. Quod ut non humano consilio, sed divinitus institutum esse tanto certius agnoscamus, vicissim videmus, quamque naturam, ut generosissima sit, ita propositis difficultatibus attrahi magis, quam deterreri.

Quae cum ita sint, vos non modo interruptum studiorum cursum lubenti, quod facitis, animo repetite, verum etiam disciplinae severitatem denuo subire ne gravemini, utpote *firmituram ingenia vestra et apta magnis conatibus reddituram*. Quorum conatuum nos praeceptores, quibus quum omnis vestri cura, tum disciplinae huius custodia commissa est, et laetos testes habebitis et fidos adiutores. Ita, dum, quantus vobis ex nostra disciplina fructus, tantus huic ex vestra dignitate et virtute honos redundat, superandum, fore, ut partum a maioribus longe gravique labore nomen socordia nostra interire non patiamur.

At vero Deus O. M., cuius benignitati ac sapientiae, quicquid rerum nostrarum est, tradimus, adnuat his votis, adnuat idem, ut redeat illuc, unde digressa est, et quo dudum iam festinat oratio, piis precibus, quas auspiciatissimo hoc die pro Regis nostri salute omnes candido ex pectore fundimus. Tametsi Tu, qui es auctor omnium bonorum, mortalibus, quicquid placet, sponte dare soles, tamen gratam Tibi precantium pietatem fore speramus; tametsi in ipsa Regis nostri pietate pignus earum rerum omnium, quas rogaturi sumus, datum esse agnoscimus, tamen et nostros sensus piis votis precibusque exserere, et coram Te explicare per paternam illam Tuam benevolentiam licebit; tametsi tota civitas supplex hodie Regem Tuae gratiae commendat, tamen et

exili Portae eadem precatione Te adeuntis voci aurem praebere non dedignaberis.

Tu igitur, Deus O. M., e cuius nutu Regum etiam salus pendet, tuere dextra Tua Regis nostri valetudinem, eadem Tua tutela Principem inventutis, Augustum Haeredem regni, totam regiam Domum, et Viros, quos Rex fiducia sua imprimis dignos iudicatos propius sibi ad consilia sua exsequenda, ad nostras quoque res regendas et curandas adesse voluit, complectere. Averte omnia, quaecunque Regis animo reipublicae curis intento aliquam aegritudinem creare possint, et permitte, ut florente regni sui conditione et communi civium caritate, in quibus dulcissima Ille regiorum laborum habet delinimenta, plane ac liquide perfruatur.

Fervet adhuc terrarum orbis, nondum detonuere illae tempestates, quibus Europa concussa ingemuit; faxis, ut, quam resedissee opinabamur, non denuo grassetur procella; suppositi adhuc sunt doloso cineri ignes, quos Tu prohibe, ne in flammam, populorum ac regnorum vastatricem, erumpant. Hoc igitur Regi concede nostro fortitudinis bello comprobatae praemium, ut pacem, cuius est pro animo suo vere regio amantissimus et studiosissimus, dumne ad securitatem regni civiumque salutem defendendam arma poscantur, perpetuo conservare Illi contingat.

Ac quoniam regia potestate regisque virtutibus, tanquam solis radiis, omnium civium animos, omnesque reipublicae partes collustrari vis et incitari et recreari, fac, ut nemo sit, quin Tuo beneficio hunc sibi regem datum laetetur, nihil in nostra civitate reperiatur, quod non ex Regis virtutibus fructum suum capiat, cura, ut in Eius iustitia innocentiae, in indulgentia infirmitati, in humanitate arti-

bus et litteris, in pietate religioni, in harum omnium virtutum consociatione publicae concordiae ac prosperitati, quod adhuc fuit, porro ne desit robur suum ac firmamentum.

Denique, si fas est mortalibus a deo precari, quæ unice in recondito divinae sapientiae arbitrio sita sint, hoc adde Tuae benignitati, ut hodiernus dies multos adhuc per annos Illi omnibus, quibus vera regum felicitas censi debet, bonis cumulatissimo celebrandus revertatur, ut diu adhuc patria hoc suo Rege gaudeat, diu adhuc et Porta nostra sub Tuis auspiciis laeta in Eius favore, tuta in patrocinio acquiescat.

## TABULA CAPITUM VOL. I. P. I.

I. *I. Bake* or. de humanitatis laude in veterum litterarum studio spectanda. p. 5.

II. *G. Stallbaumii* or. de per culis litterarum humanitatis studio nostra aetate imminentibus. p. 31.

III. *C. E. Ch. Schneideri* diss. de recta philologiae tractandae ratione. p. 48.

IV. *F. V. Fritzscheii* or., qua, quem in locum graecarum romanarumque litterarum tudium saeculo XIX. pervenerit, ostenditur. p. 59.

V. *F. L. Vibii* or. de antiquarum litterarum disciplina iniuste hodie in contemptum vocata. p. 85.

VI. *H. C. A. Eichstaedtii* diss. de novo *Mich. Olmonis* consilio civitatem latinam fundand. p. 105.

VII. *G. Hermannii* or. post. obitum *C. D. Beckii* habita. p. 125.

VIII. *A. Boeckhii* or. in dedicatione universitatis litterariae Berolinensis habita. p. 136.

IX. *C. G. Goettlingii* or. de non mutandis academiarum Germaniae formis. p. 149.

X. *C. T. Zumptii* or. de re scholastica, imprimis Borussiae. p. 163.

XI. *A. A. Langii* or. de severitate disciplinae Portensis. p. 183.